DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CHIRVRGIA

CVM

MEDICINA NECESSARIO CONIVNGENDA

QVAM

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MEDICINAE DOCTORE, THEORIAE-CHIRVRGIAE ET BOTANIC. P. P. O. ACAD. CAES. NAT. CVRIOS. NEC NON REGIAE LONDIN. ET BEROLIN. COLLEG. FAMIGERATISSIMO H. T. FACVLT. SVAE DECANO

PATRONO AC PROMOTORE SVO

AETERNVM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM RITE ATQVE SOLENNITER OBTINENDO

ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

GEORGIVS CHRISTIANVS MATERNVS

PANNONIVS.

DIE XXX MAII A. MDCCXXXII.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

GASPAR ASELLIVS de lacteis venis p. m. 2.

Nullus vnquam liber, inquit PLATO, *calumniæ vim effugit. Et rectissime* CICERO *vitari non posse, ne reprehendamur, nisi nihil scribendo. Est autem profecto angusti, & abiecti, & humilis animi, quæ facere debeas, quæque recte, & ordine facere scias, in iis, nescio quem cuius reprehensiunculæ metum, aut publicæ vtilitati, aut officio præuertere.*

CHRIST. DEMOCRITVS de vitæ animalis morbo & medicina p. m. 5.

Sola enim fere ars medica, vna cum ancillante illi philosophia naturali inter eruditorum ordines, nostro æuo felici hoc gaudet fato, quod cuiuis rei susceptæ non ignaro, ex animi sententia loqui & agere sine periculo integrum sit, ac in nullius magistri verba iurando ea libertate frui, quæ hominem ingenuum decet, & quæ solerti veritatis indagatori veræque sapientiæ discipulo apertam ad vlteriora & meliora viam relinquit. Ac licet nonnullibi ereptam sibi dictaturam quidam ægre adhuc ferant, & inani gloria & turpis lucri cupidine acti, freno constringere veritatis studiosos & boni publici cupidos non parum annitantur; auctoritate tamen pollentes hæc intentata seruitus nondum inuenit tutores ac patronos, nec spero, imposterum inueniet, cum ex omnium re sit, bono potiri medico.

HORATIVS AVGENTIVS A MONTE SANCTO de Sang. missione lib. I. cap. I. p. 3.

Non enim aliud est laboris & consilii huiusce mei institutum, quam veritatem docere, & aliis prodesse.

PROLOGVS.

Rerum arctius inter se coniungendarum, periculosissima semper fuit disiunctio; sed maius longe periculum imminet, si ad saluberrimam coniunctionem, propter varias, hominum quorundam opiniosissimorum, sententias, nulla plane spes adfulgeat: nec mirum, malo cuiuis inueterato quis facile medelam adferat? hos quidem tam peruersos hominum mores, extremamque ad res quascumque confundendas procliuitatem, omnis probior iam dudum obiurgauit antiquitas, irrito licet vt plurimum conatu. Malum quippe vbiuis gentium pene videtur endemium; siue quis ecclesiæ spectet statum; siue reipublicæ ciuilis; siue etiam literariæ; noxias vbique, rerum connectendarum, dissolutiones, diuortia & serio detestanda offendet schismata. Ita antiquissimis iam temporibus inuenti sunt doctores Iudæorum theologi, qui solam orthodoxiam mosaicam crepauerunt, sed iidem post habitis amoris & misericordiæ officiis, omnem eiurauerunt ευσεβειαν, in bonos quosuis tam nefarie debacchantes, ac si temerarius fastus & summa impietas quæuis, theologi proprium esset quarti, quod aiunt modi. Vnde vehementius etiam in illos inuehitur ipse Dei filius, quod decimas seminum exsoluant culinariorum, iusti vero & æqui rationem habeant prorsus nullam, addito epiphonemate: ταυτα εδει ποιησαι κακεινα μη αφιεναι. Res pariter Judæorum, Assyriorum, Græcorum atque Romanorum, publicæ tanto tenebantur & pacis & concordiæ desiderio, non tamen voti compotes factæ sunt; testantur id ipsum luctuosissima bella ciuilia & intestina dissidia, quæ innumeris vicibus exorta sunt, tamque diu res publicas labefactauerunt, donec tandem euersæ, funditusque deletæ essent singulæ. a) Causam interitus velut in aprico positam, nullus est, qui nesciat:

 opta-

a) Vid. M. G. C. Bohnstedt programma historicum, de causis euersæ rei publicæ romanæ.

optatiſſimæ omnino pacis flagrauerunt cupiditate; ſed defuit concordia, horruerunt bella; at exulauit in illis iuſtitia; imo proprii commodi ſtudium, dolis & fraudulentia coniunctum peſtilentiſſima fuit ſcaturigo, ex qua manifeſta audacia, magiſtratuum contemtus, inquiſſimæ cædes, atrociſſima bella, aliaque mala in communem propullulauerunt perniciem, qua tranquillus populi ſtatus turbari quidem, non vero ſtabilis pax vel obtineri vel conſeruari vllo poterat modo. Et hinc omnes lacrimæ! ſuffoſſo fundamento, corruunt ædificia; frigeſcente pietatis praxi, ſtolida eſt orthodoxiæ adfectatio, quemadmodum æquitate ſublata, nullum, ne potentiſſimum quidem regnum perdurare potuit vmquam. Tanto magis ergo in omni ſtatu, neceſſaria eſt rerum affinium coniunctio, quanto nocentior earum eſſe ſoleat ſeparatio, quod pluribus tamen perſequi minime libet. Rem publicam, vt dici ſolet, literariam, aliquis fortaſſe ceteris dixerit feliciorem: verum enim vero aduerſatur huic opinioni, quod ad philoſophos attinet, experientia ipſaque hiſtoria philoſophica, hi enim ampliſſimas ſæpe, vt equidem ſapientiæ doctores decebat, virtutis & doctrinæ laudes conſecuti ſunt, ſed ad doctrinæ ſuæ præcepta mores componere atque ætatem ſuam tranſigere, plerisque non fuit animus; vnde etiam factum, vt philoſophi cum philoſophia, multorum, & comicorum plane exponerentur ludibrio: ita enim Anaxippus apud Athenæum l. XIII. cap. 34.

Οιμοι φιλοσοφεις. Αλλα τȣϛε φιλοσοφȣς
Εν τοις λογοις φϱονȣντας ευϱισκω μονον
Εν τοις δ' εϱγοις οντας ανοητȣς οϱω. hoc eſt.

O vah! Philoſopharis etiam tu? ſed philoſophos inuenio in verbis ſolum ſapientes, in operibus vero fatuos video. Nec adeo inique hoc dictum, de multis theoriam profitentibus praxin autem, quæ theoriæ vita eſt, negligentibus. Commune videlicet philoſophorum non paucorum fuit vitium, vt, quas ipſi inculcaſſent doctrinas, exercerent minime, quo nomine non comicorum tantum, ſed ſociorum quoque incurrerunt

repre-

reprehensionem: ita Macedo philosophus de illis dixit: „*nihil fieri posse indignius, neque intolerantius, quam quod homi-„nes ignaui ac desides, operti barba & pallio, mores ac emolumenta „philosophiæ, in linguæ verborumque artes conuerterent, & vitia „facundissime accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.* A. Gellius lib. XIII. cap. VIII. a) Ii saltem philosophi, quibus in aulis principum degere contigit, magnam virtutum laudem, apud omnes non sunt consecuti, auaritiæ quippe & voluptatis accusati sæpius, eamque ob causam reprehensi, nec vno modo profligati, quod enim Macedo pronunciauit seuerius, illud non sine festiuitate ab aliis, aliter paulo, philosopis obiectum est v. g. *Tu non cessas Crassi instar diues, viuens vt Lucullus, catoniano more differere.* Verum illiada post Homerum scriberemus, si, de neglectu illius, quod in philosopho præcipuum iudicatur, verba facere contenderemus in hac præfatiuncula, egerunt hoc ante nos plures & nobis longe grauiores, quorum scripta compilare iam non libet. vid. Diog. Laertius & Th. Stanleius in historia philosophica, & qui in hoc argumento plurium instar esse potest J. F. B. in erudito, *de moribus philosophorum* opusculo, Olearius *de philosophis exosis* & reliqui. Quæ porro literatores & critici; quæ mathematici; quæ denique iureconsulti in legibus suis obseruent vel omittant, cum publico communicare abhorremus, ne data quasi opera ad vanissimam pteromachiarum cladem, viam hisce muniuisse videamur. Proposito tamen fini, vt faciamus satis ad medicorum nos conuertemus scholas, inuestigaturi, vtrum illæ eadem fata cum reliquis eruditorum societatibus experiantur, nec ne: vbi si stolido partium teneremur studio, quæstionem negando decidendam esse iudicaremus vtique, sed veritatis studiosiores, non possumus non in aliam ire sententiam, quoniam, ipsa salutaris ars, tanto nondum gaudet perfectionis

 splen-

a) Vid. Jo de Raei de Sapientia veterum in fine clauis philosophiæ naturalis p. 739. seqq.

ſplendore, vt reliquis anteferri mereatur, nam multa, cum rationi tum experientiæ contraria non ſolum quotidie docentur, ſed, quod mireris, etiam plura neceſſaria, & in praxi tam clinica, quam in ipſa ſani ac ægri hominis theoria, per quam ſalutaria vel omittuntur, vel ceu ſuperflua & erronea exſibilantur, quaſi hæc, artis medicæ tironem tutius negligere, quam attendere quidem deceant. Quare huicce malo mederi plures pro virili attentauerunt, quorum merita in medicinam maxima ſunt: inter recentiores vero, ſi quisquam alius Wedelius, celeberrimus quondam Germaniæ medicus & Stahlius Regius archiater, doctrina atque ſcriptis profecto præſtiterunt, quod ab orbe medico ſperari vix potuit. Laudem præterea nouiſſimis annis in hoc ipſo argumento conſecuti ſunt immortalem, annalium ſcriptores Vratislavienſes aliique, quorum catalogum nulli recitabimuss. Sed neque nos in præſentia medicinæ emendationem docere aut demonſtare laborabimus, viribus noſtris, quantuliscumque tantum contendentes, vt probemus & medicinæ ſua eſſe fata, cum in ea non ſolum diſſentiant ſed ei quoque detrahatur; quod tamquam teſtibus deſtituti, non ediſſerimus, illorum enim vices explet, illa medicinæ pars egregia & longe vtiliſſima, vulneraria nempe, ante tria pene ſæcula, abſolute a clinica iniuſtiſſime ablata, in vincula plerumque idiotarum quemadmodum chirurgi vulgares plerique eſſe ſolent coniecta & peius habita, quam tamen ab arte ſalutari ita non eſſe auellendam docebimus, vt tamquam pars in ſuum totum tyrannidem obtinere ſatagat, ſed ita potius cum medicina de nouo coniungendam, vt illa ſine hac exerceri debeat numquam. Faxit Sanctiſſimus Deus, vt hi noſtri conatus, ſuis, quos optamus, non deſtituantur vſibus.

LIBEL-

LIBELLVS ACADEMICVS INAVGVRALIS

DE

CHIRVRGIA

CVM

MEDICINA

NECESSARIO CONIVNGENDA

SECTIO I.

HISTORICA

DE

CHIRVRGIAE ET MEDICINAE ORTV, NEC NON DE FATALI ILLIVS AB ISTHAC SEPARATIONE.

MEMBRVM I.

DE CHIRVRGIAE ET MEDICINAE PRIMA ET SIMPLICISSIMA ORIGINE.

§. I.

INſcriptionis explicationem nec non definitionum atque etymologias crepundia, antequam ad operis nos accingamus tractationem, conſulto præterire nobis conſtitutum eſt; Siquidem tam indoctos medicorum filios non eſſe credimus, qui quid chirurgiæ & medicinæ voces ſibi velint, & quo modo diſtinguantur ac deſcribantur ignorent.

§. II.

Dum ergo de Chirurgia cum medicina coniungenda verba facimus, quæri e nobis non importune poſſet, quo iſthæc valeant, quod profligata disiunctione, mutuum harum tantopere efflagitemus nexum ? ad quod hoc ferrimus reſponſi, nos iſtud agere ideo : quod ſciamus, chirurgiam eodem plane tempore cœpiſſe, quo medicina orta eſt, cum medicina porro incrementa ſumſiſſe, eique ſemper coniun-

ctam

ctam permansisse, adeoque vt postliminio cum medicina coniungatur, esse quam iustissimum. Deinde, quod sine medicinæ subsidio, tantum non omnes, si leuiores exceperis, tonsorum curationes, aut infeliciter succedant, aut funesto præter opinionem sæpe finiantur fato. Has ob causas e re ægrorum vel maxime esse putamus, vt chirurgia quantocyus ad medicinam redeat, ne auulsa diutius sibique relicta, plures ad internecionem cædat, quam quidem liberet.

§. III.

Chirurgiæ itaque pariter ac medicinæ origines ex scriptorum monumentis probare, operæ vix ac ne vix quidem videtur pretium, nam miserrima mortalium conditio vtriusque docuit necessitatem deditque originem; quare in causas miseriæ potius, & fata, quæ hinc consecuta sunt, quam in historiam primorum temporum nusquam obviam, erit inquirendum.

§. IV.

Ab initio vtique rerum, si artis medendi aliquod fuisset pretium, nullum isthoc verius prostitisset inperfectionis testimonium: sed, nulla plane morborum tunc fuit molestia, nullus vitam alendi labor; abfuit hostium metus; exulauerunt dolorum incommoda; & perfectissima contra, omnibusque numeris quam absolutissima viguit felicitas, vt poëta, status paradisiaci ne vmbram quidem adferre valeat, dum libro metamorphos. XV. p. m. 486. hoc modo disserit:

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit, ora cruore.
Tunc & aues tutæ mouere per aëra pennas,
Et lepus impauidus mediis errauit in aruis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem
Plenaque pacis erant - - -

Verum, post lugendam omnium rerum καταστροφήν, dura necessitas

ceſſitas ſexcentas perperit artium inuentiones, quarum hiſtoriam ſtrictim recenſuimus, alibi, in opuſculo noſtro, de vitæ genere cum prudentia eligendo parte I.

§. V.

Poſtea vero quam homo tam turpiter defecerat, vna cum ſuis, grauiſſimas numinis iras, acerbiſſimamque expertus eſt miſeriam, ita, vt terram ex maledictione ſibi haberet inimicam, tempeſtatum ſentiret iniurias, animantia ſuos videret hoſtes, & corpus denique nanciſceretur morbis letiferis, iisque non paucis quam maxime obnoxium. Cum autem multiplicato vlterius hominum genere, omnis etiam multiplicaretur malitia, aucta quoque ſunt pœnarum genera, & vim peccati acerrimam, per nouas in dies morborum adflictiones, ſenſerunt tam piæ patriarcharum familiæ, quam inprobi Cainitarum poſteri: multos e medio mors ſuſtulit; plures correpti ſunt morbis; ab hoſtibus vulnerati alii; alii a feris beſtiis læſi, ſociorum implorauerunt operam, a nullo non medicum exſpectantes auxilium. Quia tamen modus, quo afflictis opportuna adferri potuiſſet medela, tunc temporis incognitus fuerat, ea, qua quisque valuit intellctus acie, multis omino modis, in vegetabilium in primis, animalium & mineralium inquiſiuit virtutes, ſi forte fortuna inueniret, cuius ope vel ipſe, vel familia decumbens, in priſtinum reſtitui poſſet ſanitatis ſtatum. Nec adeo infeliciter opus ſucceſſiſſe, vt credamus par eſt; licet rudi ſatis minerua tractatum & pedetentim perfectum fuerit. *Æger igitur aut eius amici plantarum facies* a) *accura-*

a) Vnde Osw. Crollius de Signaturis internis rer. p. m. 19. Planta enim velut occultis verbis; ægris mortalibus vires reſerat & abſtruſos rerum theſauros, vt diſcat omnium miſerrimus homo, quomodo ſuis morbis opem ferre poſſit. Conf. Io. Ionſtoni Syntag. med. vniv. Parte II. lib. 4. cap. I. art. 2. puncto 4. p. m. 321. de ſignaturis plantarum. I. Bœhmius von der geburt vnd bezeichnung aller weſen Cap. I. §. 16. Paracelſus von dem waſſerblüt. Wolfg. Ambroſ. Fabricius de ſignaturis plantarum, Norimbergæ 1653. Nos autem ſententiæ huic quam laudati

curatis & intenſis oculis contemplati ſunt, quæ in iſtis, iis morbis, quibus ſeſe conflictari putarunt, ſimilia experti fuerunt, ea omnia ad affectus illius, cum quo remedii forma ſimilitudine conuenire videbatur, medelam retulerunt, ſummo auctore rerum per has plantarum externas figuras indigitante, quid huic vel illi morbo remedio eſſet futurum, vtpote cui naturam in germinum fronte opis & remedii iconem inſculpere benefico ac gratioſo indultu placuerit. - - - Sic plurima flauo colore tincta, bili expurgandæ dicata ſtatuerunt, alba pituitæ adſignarunt, nigra atræ bili, quæ rubeo colore prædita hæmorrhagiis accommodarunt, ſi quæ vegetabilia aculeis armata natura produxit, ad laterum & aliarum partium internarum dolores punctorios ſedandos, priſci illi, quorum veſtigiis & plurimi huius ſæculi adhuc inſiſtunt, idonea eſſe ſibi perſuaſerunt videatur Fr. Hoffmanni præfat. claui pharm. Schroed. præfixa, & R. a Caſtro in medico politico Lib. II. cap. 6. de orig. & progr. artis m. p. u. 74. ſ.

§. VI.

Communi igitur hominum miſeriæ & chirurgia & medicina, ſuas acceptas referre debet origines. Quo enim vehementius vrſerunt morborum vulnerumque cruciatus, eo ſtudioſius exquiſita ſunt remedia, quod etiam Hippocrates clariſſimus veteris medicinæ inſtaurator, probe perſpexit, libro de medicina priſca (edit. Genev. MDCLVII. quam ſemper intellectam volumus) fol. 9. inquiens: Νυν δ' αυτη ἡ αναγκη ιητρικην εποιησε. Et licet variorum antiquiſſimorum celebretur induſtria, in excogitandis & inueniendis remediis alias feliciſſima; viuo tamen potentiſſimoque Deo, qui ægrum, quamuis peccatorem & iure plectendum, perdere non vult, & qui adflictionis tempore, ope ac conſilio deſtitutis, vt medicus יהוה veluti docet Moſes lib. II. cap. XV. ipſe ſuppetias ſæpe tulit, huic, inquam, benigniſſimo numini, omnia ſua, quæcumque chirur-

dati auctores fouent, ſimpliciter ſubſcribere non poſſumus, licet ad filum hiſtoricum pertexendum, eorum alleganda eſſet opinio, cf. Io. Forget artis ſignatæ deſignata fallacia, Nanceii 1633.

rurgia & medicina nouit, in ſolidum debet, tribuetque in poſterum. videatur Stahlius de Deo, auctore veræ medicinæ.

§. VII.

Caſtigandi itaque blandoque riſu excipiendi ſunt ii, qui mortalem quemdam artis medicæ auctorem vel inuentorem ſibi effingunt, vt fabuloſa Ægyptiorum, Romanorum & Græcorum inprimis fecit antiquitas, quæ Apollinem deaſtrum laudat ac mirum in modum extollit, tamquam omnibus numeris abſolutum artificem & expertum practicum, de quo Ovid. metamorphoſ. lib. I. Inuentum medicina meum eſt, opiferque per orbem dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis. & Virgilius lib. Æneid. XII. eumdem, vt ſtrenuum operatorem & chirurgiæ peritiſſimum deſcribit, ipſamque vulnerariam medicinam mutam artem vocat, quia vbi manibus & inſtrumentis res agitur, ibi ceſſare videtur ratio.

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
augurium, citharamque dabat, celeresqae ſagittas.
Ille, vt depoſiti (ie extrema valetudine laborantis) proferret
fata parentis,
ſcire poteſtates herbarum vſumque medendi
maluit, & mutas agitare inglorius artes &c.
- - - - Ille retorto
pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
multa manu medica, Phœbique potentibus herbis,
ne quicquam trepidat, ne quicquam ſpicula dextra
ſollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.

§. VIII.

De Phœbo nihil dicendum eſt, non enim Græci alium, quam ipſum Apollinem hoc nomine intellectum volunt, ideo de eadem fabula verba facere, neceſſe non eſt, etſi Callimachum quoque de eo canere non piguerit: *εκ δε νυ Φοιβȣ Ιητροι δεδαασιν αναβλησιν θανατοιο* ie a Phœbo didicerunt medici depulſionem mortis. At Græcorum nugas fœda Ægyptiorum vincit ſuperſtitio, hi enim non Mercurium tantum, ſed bo-

uinum ſuum idolum, Apidem nimirum, non ſine inſania pro medicinæ auctore habuerunt, vid. Clemens Alex. & Diodor. Sic. *lib. I. de fabuloſis antiquor. geſtis p. m.* 155. Interim & Prometheus, Pæon & Orpheus ſuos inuenerunt patronos, quorum laudibus palmam præripere videtur Æſculapius, qui ob feliciorem praxin & ſingularem medendi peritiam dei inſtar cultus eſt, cum in eius honorem templa non pauca paſſim exſtructa ſint: ſic Panticapæi plane inventum eſt fanum Æſculapii, de qua urbe longiſſime a nobis remotæ, euoluendi erunt geographi, Strabo lib. I. pag. 126. edit. Amſtelæd. MDCCVII. Plinius libro IIII. cap. XII. Euſtathii paraphraſis græca in Dionyſii periegeſin ad verſ. 314. Scylax in periplo p. m. 29. (edit. e theatro ſcheldoniano Oxoni MDCXCVIII.) & reliqui. Vt nihil dicamus de illis, quæ in aliis Italiæ, Græciæ, Syriæ, Aſiæ & Ægypti vrbibus, variisque inſulis erecta ſunt, e quibus nobiliſſima & antiquiſſima deſcribuntur a Strabone & inprimis a Pauſania, ad quos remittimus. Cultus omnino Æſculapius eſt in publicam quaſi teſtificationem, quod multis regionibus & ſua & diſcipulorum opera maxime profuerit, ſuo id exemplo confirmans, quod Homerus olim Iliad. λ. cecinit:

Ιητρος γαρ ανηρ πολλων ανταξιος αλλων

ie medicum multis aliis præſtare adeoque anteferendum eſſe. Ex hac tamen ſuperſtitioſa idololatria nemo medicinæ auctorem, minime omnium deum exſculpere poterit vmquam, nedum cogitabit.

§. VIIII.

Hæc quidem de Æſculapio tradunt ſcriptores in primis Græci; interim dubium nullum eſt, quin & hæc ſecundum maximam ſui partem fabuloſis mendaciorum inuolucris tecta ſint abſconditaque, neque dicam, vt nobis aliquis ob hanc theſin ſcribat, merebimur, re enim vera allucinantur, qui Æſculapium ceu primum & antiquiſſimum medicum venerantur, Deum enim fuiſſe, quis ſanæ mentis crediderit? nam

&

& ipſi fatentur ethnici ſe per Æſculapium non alium intellexiſſe medicum, quam allegoricum, teſte Pauſania in Achaicis p. m. 583. cuius verba latine tantum apponimus ; ita vero ille : *In hoc Æſculapii templo altercatio mihi fuit cum ſidonio homine, qui & rerum omnium diuinarum peritiores eſſe Phœnicas quam Græcos contendebat : tum vero & inter ipſos aiebat Æſculapii patrem Apollinem celebrari, matrem vero ei mortalem fuiſſe negabat. Æſculapium enim nihil aliud quam aërem eſſe, ex quo bona valetudo (quam græci υγιειαν appellant) tam homini, quam cunctis animantibus exiſteret. Apollinem, qui ſol ipſe eſt, iure patrem Æſculapii perhiberi, quod anniuerſarias viciſſitudines curſu conficiens ſuo, aëri ſalubritatem impertiat. Hæc ego illi facile aſſentiebar, ſed non eſſe magis Phœnicum, eam, quam Græcorum opinionem, oſtendebam; quum Titane etiam, quod eſt Sicyoniorum oppidum, Æſculapii ſignum ſalubritatis dicatur. Eſſe vero vel pueris manifeſtum aiebam, corporum in terra ſalubritatem ſolis curſu effici.* Quo cum & facit Macrobius Saturnal. libro I. *Eſt Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia ſolis, ſubueniens animis corporibusque mortalium.* Evaneſcit ergo ficta diuinitatis laus, quam & Lucianus dialogor. cæleſt. XIII. feſtiuo ſermone exſibilat ; & Æſculapius deaſter inter ανυστα και ατοπικα reputandus erit, ſi in primis fabuloſiſſimam natiuitatis ſpectes hiſtoriam, cui ipſe quoque Pauſanias in Corinthiacis p. m. 171. ſubſcribere detrectat. Hoc vero a veritate minus abhorrere videtur, fuiſſe nimirum aliquem medicum græcum, qui, Æſculapii nomen, ceu famoſiſſimi idoli, vbique ferme culti adfectaret, vt eo auguſtiorem in arte ſibi compararet famam, dum vel Æſculapium vel eius ſe iactitaret diſcipulum, vti v. g. noſtri a) non raro ſolent,

a) Sed abſtinemus ab exemplis ſingularibus, ſolent enim eſſe odioſiora, ſi præcipue pungantur ii, qui verbis Herculem ſuperant medicum, in praxi vero cedunt pumilioni. De homine vero alio, & graculo inter muſas, qui Suhlæ, cantorem agit, & elixiriis coquendis nimium ſtudet. lepidam hiſtoriam Coll. Wratisl. adferunt tom. XI. pag. 227. ſ. Is homuncio vt famam, fidem & æſtimationem ſibi comparet inter rudiores,

lent, more profecto opinione antiquiori: Erasmus ſaltem Roterod. de ſui temporis hominibus eiusmodi quid narrat in libello cui titulus Ciceronianus p. m. 65. *Noui medicos, inſigniter artis, quam profitebantur imperitos, qui quo quæſtum facerent vberiorem. celebris alicuius medici, quem vix viderant, ſe diſcipulos iactitabant, rogatique cur præter artem hoc aut illud miniſtrarent ægrotis, conuicio reſpondere ſolent: nam tu illo doctior? hunc præceptorem ſequor* cet. Interim dubium nullum eſt, fuiſſe aliam inſuper, imo plures Æſculapiorum familias, vtut illum, quem medicinæ auctorem græculi ebuccinans, neutiquam admittamus, vid. Pauſanias, in Meſſeniacis p. m. 284. & Strabo libro VIII. p. m. 663. & 669. *vbi non vt medici deſcribuntur Æſculapii, ſed vt principes ſeu rerum domini, quibus regio, in quadam Theſſaliæ parte, ſubiecta, paruit.*

§. X.

Indicatis igitur medicinæ (§. V. VI.) *& chirurgiæ originibus recitatisque* (§. VII. VIII.) *barbarorum opinionibus, ad alia properamus;* prius autem, quam hoc finiamus membrum, C. Celſi ſententiam hac de re, ex præfatione repetendam ducimus p. 10. (edit. Wedel. Jenæ MDCCIII.) *Sic medicinam ortam, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernentem a ſalutaribus.* Quem Celſi locum egregie & pluribus verbis illuſtrat „Quinctilianus *inſtit. orator. lib. II. cap. XVII. hoc modo: Illud „admonere ſatis eſt, omnia, quæ ars conſummauerit, a natura initia duxiſſe: aut tollatur medicina, quæ ex obſeruatione ſalubrium „atque his contrariorum reperta eſt, vt quibusdam placet, tota conſtat experimentis. Nam & vulnus deligauit aliquis, antequam „hæc ars eſſet: & febrem quiete & abſtinentia, non quia ratione „videbas, ſed quia id valetudo ipſa coëgerat, mitigauit.*

MEM-

---

res, ſemper quemdam doctorem Heiſſium Dantiſcantum, tamquam ſuum in chymicis præceptorem crepat, quem forſitan vix eminus nouerat, teſte hiſtoria iam allata.

MEMBRVM II.

DE CHIRVRGIAE ET MEDICINAE INCREMENTIS, QVAE EX ANIMALIVM, VT FERVNT, IN SE SVSCEPTIS CVRATIONIBVS ARTI ACCESSERVNT.

§. I.

INquirentibus in medicinæ & chirurgiæ incrementa prima & ſimpliciſſima, ante omnia, tamquam verſati medici ſe nobis offerunt ipſa terrarum animantia, quæ in hac exercitatione præterire neutiquam decuit, cum vulgus etiam ruſticum & venatorium nouerit, eſſe, tam quadrupedibus quam bipedibus, cum feris tum cicuribus ſuos morbos, quorum aliquot enumerat Virgilius georg.c. lib. III. p. m. 183. ſeqq. a) (edit. Abrah. Commelini anno MDCXLVI. quam ſæpius citabimus.)

Morborum quoque te cauſas & ſigna docebo.
Turpis oues tentat ſcabies, vbi frigidus imber
Altius ad viuum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cum tonſis adhæſit illotus
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres. Et paulo inferius:
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis &c. & pag. 187

Ecce

---

a) Et cui nouiſſima magis placent, is adeat Collect. Vratisl. de morbo gallinarum calecutic. & piſcium tom. I. p. 50. tom. II. p. 187. de dyſenteria apum tom. III. p. 802. de contractura & ſcabie vitulorum tom IIII. p. 1069. de morbo anſerum ib. p. 1179. de variolis columbarum tom. VI. p. 1712. de obſtructione, diarrhœa, procidentia inteſtini, conuulſionibus pecudum ib. p. 1834. tom. VIII. p. 677. de rabie canum & porcorum ib. p. 678 680. tom. IX. p. 64. de hydrope ſcrotali equorum ib. p. 320. de variolis ouium & graui affectu hepatico anſerum tom. X. p. 460. de inflammatione hepatis leporum tom. XIV. p 622. de cæcitate gallinarum ex vngue tom. XVIII. p. 593. tom. XXXIV. p. 559. de avicula canarienſi ex Tympanitide & Hectica mortua. it. de vermibus columbarum tom. XXXV. p. 346. de phthiraſi gallinarum tom. XXXVI. p. 556.

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem
Extremosque ciet gemitus. - - - & pag. 189. h. m.
Ipſis eſt aër auibus non æquus, & illæ
præcipites alta vitam ſub nube relinquunt,

His atque aliis animalium adflictionibus, omni tempore, vt æquum erat, ferro & medicina, prouida hominum ſuccurrere tentauit induſtria, vnde non veterinaria tantum, multaque medicamenta ſcriptoribus rei ruſticæ, & inprimis L.I.M. Columellæ de RR libro VI. ab initio ad finem vsque celebrata, exſtiterunt, ſed alia inſuper euporiſta inuenta & ad ſananda pecora applicata ſunt, quorum unum alterumue retulit P. Virgilius loco cit. p. 183.

Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magiſtri
Perfundunt, vdisque aries in gurgite villis
merſatur, miſſusque ſecundo defluit amni:
Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca
et ſpumas miſcent argenti, viuaque ſulfra,
Idæasque pices, & pingues vnguine ceras,
Scillamque Helleborosque graues, nigrumque bitumen.
Non tamen vlla magis præſens fortuna laborum eſt,
quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
vlceris os - - - - -
Cum furit atque artus depaſcitur aride febris;
profuit incenſos æſtus auertere & inter
ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam. &c.

Verum enim vero non ſemper ex ſententia curata ſunt animalia, quin plura interirent, licet opera omni adhibita, vt ipſe queritur Virgil. l. c.

Præterea nec iam mutari pabula refert.
Quæſitaque nocent artes: ceſſere magiſtri. &c.

Non enim opera medicinæ veterinariæ reparari id poteſt, quod læſum vix creditur in animalibus, & ſi, quod læſum ſit, certo etiam conſtet, ignoratur tamen modus, quo curari de-

debeas; quare, nisi communis aliqua lues animalia interimat, felicius longe, ac breuius convalescunt illa, quæ in silvis fera vagantur, quam, quæ ægra, ergastulis inclusa, peculiari pabulo & medicina ad hominum nutum fruuntur. Curatius enim nouerunt animalia medicinam, qua sanitas læsa recuperanda est, quam quidem homines poterunt vmquam, qui diuinando solum & coniectando medicinam parant morbo minus aptam; atque ita sæpius euenit, vt animalia intereant, quam conualescant. Miranda igitur est maxima creatoris benignitas, quod animalia quoque ea rationis acie instruxerit, qua medicinam sibi quærere & corpus suum ab infirmitatum iniuriis defendere valeant.

§. II.

Tam portentosa enim horologia, tamque cariosæ & stridentes machinæ non sunt, vt quibusdam sapientiæ professoribus, superiori sæculo claris, visum est, licet omnibus hac de re non eadem sit sententia: aristotelici saltem nimis obscure ac perplexe hoc argumentum tractauerunt vti v. g. Franc. Piccolominei parte Opp. V. libro de fac. an. perquam sue sponte mouentur animalia p. m. 1327. seqq. Cartesius vero eiusque sectæ addicti, animam ratione præditam, animalibus inesse pernegant, omnesque animalium actiones vel ab inexplicabili quodam instinctu, vel consuetudine, vel organorum structura deriuant, adfirmantes animalia horologiis esse quam simillima vt ipse fecit Cartesius in epistolis passim, & Ant. le Grand institut. philosoph. P. VII. cap. XVII. §. 4. p. m. 562. „*Sunt enim animalia, si homo excipiatur, veluti quædam* „*horologia, aut alia automata, hoc est, machinæ, quæ vi quadam,* „*veluti sua sponte sunt præditæ, dum bene dispositæ sunt & in se mo-* „*tuum principium corporale habent, quorum gratia elaboratæ sunt,* „*cum omnibus, quæ ad earum actionem sunt requisita. Quia omnia,* „*quæ in unimalibus fiunt, homine secluso, solum corpus pro causa* „*agnoscunt, nec vlla in eis anima sensitiua fingenda, quamquæ cor-* „*poreorum organorum affectione absoluitur; nec vlla alia anima,*

„*quam*

„*quam spiritus, seu subtiliores sanguinis partes istius generis vitæ,*
„*& sensuum exercitiis idoneæ. conf. eiusd. historiam naturæ edit. Norimb. p.* 343. & J. C. Sturmius in der natur lehr p. m. 818. seq. Ed. Dikinson physica vet. & ver. de opere V. diei cap. X. Seb. Wirdigii festiuum libellum scil. nouam medic. spirituum lib. I. c. 14. p. m. 42.

§. III.

Spreta igitur hac opinione ad ea progrediemur, quæ ex pacto ventilanda sunt, quamuis nemini spem faciamus exactæ tractationis de medicina ab animalibus inuenta, quia vnicum breuioris sectionis membrum hoc ipsum prohibet; ante vero quam pauca de animalibus, eorumque sagacitate in exquirenda medicina adferamus, quosdam physicæ huius veritatis laudabimus testes, ex antiquis quidem Stratonem dictum physicum, Plutarchum, Ciceronem, aliosque: sæculis vero sequentibus inclaruit post alios Hier. Rorarius a) papæ quondam legatus cum pluribus aliis, quos enumerauit Henickius in dissert. Lipsiæ MDCLXXVIII de ratione brutorum habita, & nostro tempore Io. Clericus illustris batauorum polyhistor, Physic. tomo IV. lib 4. cap. 12. ad quos remittimus, quorum intererit. Nec quemquam terreat illud Jac. Thomasii effatum in Physica erotematica cap. XXXVIII. quæst. 14. dicentis: *proprie vero dictam rationem illis inesse negabimus. Neque vero ea concedi brutis sine absurditate potest.* Ita nec Franzii Theologi opinio veritati officiet quidquam, qui in historia animal. cap. II. p. m. 24. lepide argumentatur: *si vero rationem haberent, vti-*
„*que mortem ipsam effugere conarentur, id qod tamen non faciunt,*
„*sed potius se saginari patiuntur, nec intelligunt finem.*

§. IV.

Dedit ergo, (vt eleganter Cicero lib. II. de nat. deor. p. m.
„320. edit. Genev. MDCLX loquitur,) *eadem natura beluis &*
„*sensum & appetitum, vt altero conatum haberent ad naturales*
„*pastus*

---

a) Quem non ita pridem eruditissimis notis edidit cl. Ribouius Helmstadii.

„pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Hoc profecto machinarum non est, stridens enim machina & pulueribus obductum horologium nullibi quærit auxilium, nec oleum arripit, neque fabrum quærit automotarium, vt rotas inungat, aut ferrugine arrosas perpoliat: ast quadrupes & bipes male se habens medicinam sibi vtilem non quærit modo, sed & qualis quærenda, & vbi inuenienda sit sæpe nouit quam optime, vnde ad incredibilia referenda neutiquam erunt, qui dicentur insequentibus. a)

§. V.

Primum ergo inter quadrupedia sit cerua, de qua affirmant, quod paulo ante partum herba seseli se perpurget, vt faciliori vtatur vtero. Cicero lib. II. de Nat. Deor. p. m. 321. post partum vero alia, quæ aros dicitur. Plinius lib. VIII. cap. 32. quod remedii genus a ceruis detectum mulieribus quoque aliquid opis tulisse vero simile est, Dioscorides enim lib. III. cap. 53. *„menses & partus trahere diserte innuit*, & inter alia addit: *ca-„pris ceterisque pecudibus datur in potu, quo facilius suos fœtus „enitantur:* laudat ad partum & Hippocrates de nat. mul. p. m. 572, & Bœclerus in notis ad Hermanni cynos. mat. med. editionis vltimæ, idem contendit. Sed antidotum porro aduersus serpentum ictus nouerunt cerui, *elaphoboscon* nimirum, quo eso, a serpentum malitioso astu & aculeo se defendere so-

a) Similes quippe historiæ etiam nostro circumferuntur æuo; v. g. de apris narrat Pometus, eos detexisse balsami de Peru vsum, hoc modo: quando nimirum sauciatos se sentiunt, quærunt arborem illam balsamiferam, inuentam illico dente incidunt, vt balsamum ploret, quo facto partem læsam, naturæ instinctu, ea qua possunt dexteritate vngunt, fricant, terunt, quod cum barbari vidissent, imitati sunt, & vulnera sua eadem fortuna, ac apri sanare didicerunt &c. vid Valentini museum museorum Tom. I. p. 406. His iungenda sunt illa Cl. Æliani var. hist. lib. I. cap. 7. de suibus agrestibus, ex imprudenti hyoscyami esu, paralysi affectis, qui licet contracti, ad aquas veniunt & ibi collectos cancros epulantur promtissime, qui morbi remedium præstant, & eis pristinam valetudinem restituunt.

ſolent; hominibus iterum digito quaſi mooſtrantes alexipharmacum, quo venenatorum animalium mederi poſſent morſibus. vid. Dioſcorides lib. III. cap. 66.

§. VI.

De capris autem Cretenſibus Ariſtoteles memoriæ prodidit, *eas dictamni vſum inueniſſe* ac ruricolis chirurgiam quaſi medicam monſtraſſe, ita vero ille: *αι ενκρητη αιγες οταν δοξευτωσι ζητȣσι το δικταμνον το εκει φυομενον, οταν γαρ φαγωσιν ευθυς εκβαλλȣσι τα δοξευματα.* Verſionem huius commatis, Ciceronis quidam ſuppeditabit locus, lib. II. de nat. deor. p. m. 321. *Capra. autem in Creta feras, cum eſſent confixæ venenatis ſagittis, herbam quærere, quæ dictamus vocaretur: quam cum guſtaſſent ſagittas excidere ex corpore.* vnde Poëta libro Æneid. XII. verſ. 412.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida
puberibus caulem foliis, & flore comantem
purpureo. Non illa feris incognita capris
gramina: cum tergo volucres hæſere ſagittæ &c.

vid. Ælianus var. hiſt. lib. I. cap. 10. Dioſc. lib. III. cap. 31. Plinius contra, dictamni proditionem ceruis attribuit lib. VIII. cap. 27. lib. XXV. 8. eiusque compilator Solinus cap. 22.

§. VII.

Inter aues, *chelidonium viſui ſaluberrimum, monſtrauerunt hirundines*, vexatis pullorum oculis illa medentes, quod tamen Celſus lib. VI. cap. 6. ceu fabulam explodit, exiſtimans, *illud herba non reſtitui, quod per ſe interpoſito tempore ſaneſcit.* conf. Plinius libr. VIII. cap. 27. *Fœniculum* nobilitauerunt *ſerpentes*, guſtatu ſenectam exuendo, & oculorum aciem ſucco eius reficiendo; vnde intellectum eſt, ait Plinius lib. XX. cap. 23. *hominum quoque caliginem præcipue eo leuari, Sic teſtudo cunilæ*, quam bubulam vocant, *paſtu*, vires contra ſerpentes refouet: *muſtela rutæ*, in murium venatu cum iis dimicatione conferta: *ciconia origano apri hedera* in morbis ſibi meden-

dentur, cancros vescendo, maxime mari eiectos. *Elephas vero chamæleonte* concolori frondi deuorato, occurrit oleastro huic veneno suo.

§. VIII.

Videamus vero, *vtrum animalia ex regno etiam, quod aiunt, animali medicinam appetant, vti solent e vegetabili.* De apro paulo ante dictum est; *de vrso* vero tenendum, eum, *postquam mandragoræ mala gustauerit, formicas lambere* suæque hoc modo prouidere sanitati, quia horum esus tam feris quam hominibus exitialis esse certo constat. vid. Dioscorides lib. IIII. cap. 71. & libro VI. cap. 16. *Pantherarum earumque remedii meminit* Cicero his verbis lib. II. de nat. deor. *Auditum est, pantheras, quæ in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo, cum essent vsæ non morerentur.* At remedium ipsum & quidem ex regno animali petitum, prodit Plinius, vna cum capiendi modo, lib. VIII. cap. 27, *Pantheras perfrica-„ta carne aconito, (veneuum id est) barbari venantur. Occupat il-„lico fauces earum angor, quare pardalianches id venenum appella-„uere quidam. At fera contra hæc excrementis hominis sibi mede-„tur: & alias tam auida eorum, vt a pastoribus ex industria in „aliquo vase suspensa altius, quam vt queat saltu attingere, iacu-„lando se appetendoque deficiat, & postremo exspiret: alioqui viua-„citatis adeo lentæ, vt eiectis interaneis pugnet.*

§. IX.

Maioribus si habenda fides, etiam *animalibus venæ sectio, aliæque quæ chirurgicæ audiunt operationes tribuendæ sunt*, diserte enim Plinias libro VIII. cap. 26. pronunciat, quod & hippopotamus a) in quadam medendi parte magister exstiterit. *Assidua namque satietate obesus exit in litus, recentes harundinum cæsuras speculatus, atque vbi acutissimum videt stirpem, inprimens corpus, venam quamdam in crure vulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit.*

a) Quæ circa hanc Plinii narrationem notanda sunt vid. in Collect. nat. cur. Vratisl. tom. XVII. p. 91.

ducit. *Clysteris vsum* & applicandi modum, e volucribus Ibis, Ægypti auis, monstrasse traditur, licet Herodotus huius inuenti non meminerit, vbi auem & quædam de illa notatu descripsit lib. II. p. m. 133. (edit. ex offic. Henricopetrina Basil. MDLXXIII) *Hæc auis itaque rostri aduncitate, per eam partem, qua reddi ciborum onera solent, aluum adstrictam aqua proluit marina & salsa, atque hac ratiare ad deiiciendum lubricat & inuitat.*

§. X.

Sed dolendum, quod animalium non nulla sua sæpe hominibus inuideant remedia, cuius rei exemplum sistunt canes, *qui herba, dicta canaria, fastidium deducunt eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita, vt numquam intelligatur quæ sit, depasta enim cernitur; notata est hæc animalis huius malignitas, in alia herba, maior, percussus enim a serpente, mederi sibi quadam dicitur, sed illam homine inspectante non decerpit.* Plinius lib. XXV. cap. 8. Imo per multa esse animalibus remedia propria, specifica dicta, nullum est dubium, quæ tamen nos prorsus fugiunt, quia obseruari a nobis nequeunt, tam ob animalium ferocitatem quam locorum vastitatem.

§. XI.

De castratione tandem animalibus quibusdam vsitata, non disputabimus; nouerant forsitan homines huius operationis modum ante, quam compertum fuisset, quod eamdem feræ exerceant, narrat vero Solinus in polyhistore cap. XXX. de onagris Africae, quod *libidinis æmulos non patiantur*, ideoque grauidas custodiant & *natos mares castrent.* vid. Oppianus poëta lib. III. κυνηγετικων, vbi hæc bestiarum crudelitas describitur. Placet quibusdam inter animalia fibros etiam castrationis magistros citare, historicorum ducti auctoritate, quod tamen a veteribus æque ac recentioribus reiicitur. Solinus omnino cap. XIX. *scribit: fibri testiculi appetuntur in vsum medelarum iccirco cum vrgeri se intelligit, ne captus prosit, ipse geminos suos deuorat.*

Sed

Sed vanitatis arguit eiusmodi narrationem Dioſcor. lib. II. cap. 23. *Vanum eſt, inquiens, quod traditur, teſtes ab ipſis euelli, & a ſe ſe abiici cum venatu vrgentur, ſiquidem tangi nequeunt, ita vt in ſue ſubſtricti conf.* M. B. Valentini hiſt. ſimplic. reform. lib. III. cap. 36. Happelii mund. mirab. tripart. tom. III. lib. XXII. cap. 9. Hoffmanni clauem Schröd. p. m. 653. Suppl. I. ad collect. Vrat. artic. 9. le journal des Sçavans de l'an 1669. p. 53. Atque hæc ſpeciminis loco, de chirurgiæ & medicinæ incrementis, per animalium ſagacitatem allatis ſufficient, plura enim addi potuiſſent facili negotio, verum enim vero inſtituti noſtri ratio, & vacillans ſcriptorum fides prohibuit, Interim negandum non eſt, potuiſſe etiam homines aliquid ab animalibus didiciſſe, nam vitæ ſuæ tam ſunt amantes veluti homines ſolent, vnde & medicinam norunt & ſtudioſe quærunt, mali adfligentis conſcia optime. Qui autem rem omnem in dubium vocare laborant, quaſi ἀδυνατον, illi habebunt, quod defendant. Nos nihil paradoxi adfirmauimus, animali enim vita prædito, quid magis conuenire poſſet quam ſuam tueri incolumitatem ? Id vero auditu mirum & explicatu difficillimum longe eſt, animalia vt machinas ſibi fingere, & nihilo minus pro hominum doctoribus habere ; egit hoc Io. Schmidius, Lipſiæ MDCLXXXIIII. *de brutis hominum doctoribus*, qui in ſcripti principio & in corollariis rationem illis denegat, & tamen plures quam viginti virtutes enumerat, quarum exercitium iisdem attribuit, & tamquam doctores prædicat, hominum imitatione non indignos. Sed finem faciemus huic membro, ſequente Ciceronis periodo lib. I. de Offic. p. m. 464. *Principio generi animantium omni eſt a natura tributum, vt ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæcumque ad viuendum ſint neceſſaria, inquirat & paret, vt paſtum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. Vt intelligamus nihil horum eſſe fortuitum, ſed omnia prouidæ ſollertisque naturæ.* id. lib. II. de nat. deor. p. m. 322.

MEM-

MEMBRVM III.

DE CHIRVRGIAE AC MEDICINAE INCREMENTIS, QVAE HOMINVM ATTVLIT INDVSTRIA

§. I.

TRactationis noſtræ filum pertexendo, vlterius ad ea progrediemur rei medicæ incrementa, quæ humana eaque laborioſa attulit induſtria. Quam autem difficile hoc ſit, quantauæ hiſtoriæ medico literariæ laboremus penuria, eruditorum fugiet neminem. Vnde *prima tempora ab Adamo vsque ad diluuium vniuerſale, inuiti præterire cogimur*, non eam quidem ob cauſam, ac ſi medicinæ & chirurgiæ nulla tunc fuiſſet notitia aut exercitium nullum, ſed alias ob cauſas, medicina enim vna cum chirurgia a primo infirmitatis humanæ initio ſtatim exculta eſt, licet in artis formam non eſſet redacta, vt veriſſime iudicauit Quinctilianus ſupra membr. I. §. X.

§. II.

Qui ergo patriarcharum temporibus omnium primo medicus ſalutatus, vel medicinam profeſſus ſit, aut libros hac de arte ſcripſerit, dici prorſus non poteſt: etiam ſi quis eos conſulat, qui de bibliothecis antediluuianis, & ſtatu politico ante diluuiano commentati ſunt. Nulli interim negamus, fuiſſe medicorum tantum numerum, quantus multitudini orbis incolarum reſpondere tunc poterat, quilibet enim, vt alibi demonſtrauimus, paterfamilias, familiæ ſuæ fuit princeps, ſacerdos, iudex, medicus, mercator, miles & œconomus. Nec tamen deſunt, ſi auctoritatibus probanda res eſſet, qui Adamum, Sethum, aliosque, profeſſores medicos pro nunciant verbi cauſſa Io. Caſſianus alias Collator dictus, ſub initium ſæculi V. florens, in ſuis, vt vocat, collationibus patrum collat. VIII. hæc profert: „*primus homo, qui vniuerſarum naturarum inſtitutionem e veſtigio ſubſecutus eſt, veram* „*phyſicæ philoſophiæ diſciplinam euidenter potuit attingere ſuisque* „*poſte-*

„*posteris certa ratione transmittere, quippe qui mundi ipsius infan-*
„*tiam adhuc teneram & quodam modo palpitantem rudemque conspe-*
„*xerat, & in quem tanta est, non solum sapientiæ plenitudo, sed et-*
„*iam gratia prophetiæ diuina insufflatione transfusa, vt vniuersis*
„*animantibus nomina, rudis adhuc mundi habitator inponeret ac non*
„*solum omnigenum bestiarum ac serpentum furores virusque discer-*
„*neret, sed etiam virtutes herbarum arborum quoque lapidumque*
„*naturas, ac tempornm nec dum expertorum partiretur vicissitudi-*
„*nes.* Cum hoc facit etiam Dav. Chytræus in enarrat. in ge-
„nes. h. m. *florentissima illius aureæ ætatis ecclesia & academia fuit,*
„*in qua Adam annos DCCCXXX. suis filiis & posteris tradidit*
doctrinam de natura rerum, viribus & vsibus plantarum. Et re-
liqua, quæ omittimus.

§. III.

Post diluuium tandem Noah *medicinæ & omnis sapientiæ habetur parens*, cuius exquisitam rerum tam naturalium quam diuinarum scientiam neque nos in dubium vocamus; ad hæc vero probanda auctorum, quos euoluimus, sententias compilare, nos vtique piget. vid. H. Nollii phys. hermet. lib. X.

§. IV.

Iam ad Chamum forte progrediendum esset, cuius in chymia & alchymia peritiam plures laudauerant; verum, cum operæ vix videatur pretium, talia negligimus, siquidem rem totam erudite admodum, vt solet, excussit cel. Bochartus in phaleg. lib. IIII. cap. I.

§. V.

Videndum ergo, qui nam aliis temporibus ex ebræorum ceu antiquissima gente medicinæ famæ fuerint celebres: at quia rerum in Chaldæa eiusque vicinia gestarum annales iterum desunt, votis non fiet satis. Interim contendunt aliqui Abrahamum fuisse medicinæ peritissimum, eumque docuisse ægyptios hanc artem primo, quos ante eius aduentum rudes admodum, & ne quidem numerorum scientiam callentes, describit Flau. Iosephus antiq. iud. lib. I. cap. 9.

§. VI.

Post exitum ex Aegypto in eadem gente vt chymicus & medicus celebratur Moses, eo, quod Stephanus eum eruditum πασῃ σοφιᾳ αιγυπτιων pronunciat, de quo tamen non disputabimus, Clemens al. saltem stromat, lib. I. medicinam in Aegypto Mosen didicisse auctor est, scribit enim de illo hæc, quæ sequuntur: cum autem ætate esset grandior, arithmeticam & geometriam, rhythmicam & harmonicam & præterea medicinam simul & musicam doctus est ab iis, qui erant insignes inter ægyptios &c. quod ambabus arripiunt illi, qui exquisitum fuisse chymicum ex vituli aurei comminutione, euincere contendunt. vid. Stahlii Opusc. chymico-physico-medica p. 588. & Io. Iul. Struue de auro potabili Mosis. aliique. Vbi simul obseruandum, quod spurius ille liber, qui συνταξις χημευτικη Μωσεως audit, nihil penitus probet, quia suppostititius & confictus a) est.

§. VII.

a) Idem iudicium esto de illis libris hypobolimæis, Salomoni tributis, quorum passim mentio fit in Rabbinorum scriptis; horum enim vacillans fides, & aliorum, antiquiorum inprimis, silentium, rem totam, non dubiam tantum reddit, sed vt oppido fabulosam aperte prodit. Ecquis facile omnibus, quæ circumferuntur historiolis suis præbeat assensum? notum namque imo notissimum est, variorum maleferiatorum homuncionum varia confingendi ac aliis inponendi pruriens ingenium. Si veræ essent fabulæ, Salomon vtique pro excellentissimo κατ' εξοχην, inter iudæos, habendus esset, medico; traditur quippe Salomonem tam præstantem conscripsisse therapiam, vt iudæi in illa sola spem suam reconualescendi posuerint, vt R. Dau. Kimchi auctor est; nam ad verba illa Hiskiæ lib. II. Reg. cap. XX. v. 3. feci quod bonum est in oculis tuis, hæc, quæ sequantur commentatus est: Hæc intelligenda sunt de eo, quod abscondidit סֵפֶר רְפוּאוֹת librum medicinalium, quem composuit Salomo, in quo homines spem suam collocabant, neque dominum in corde suo quærebant. Georgius etiam Cedrenus in compend. hist scribit de eodem libro, quod græci iatrosophistæ materiam & artis medicæ argumenta ex illo suffurati sint. cf. Io. Hen. Hottingeri thes. phil. p. m. 526. De Herbario Salomonis iam nihil dicemus? meminit illius Suidas & Morhofius in polyhist. libro I. cap. 6. §. 57. p. m. 51. Salomonis Her-

§. VII.

Quamuis vero tenuia ſint, quæ de medicina ab ebræis culta proferri poſſunt, tamen non inepte credimus, habuiſſe hunc populum ſuos medicos, quemadmodum ſuis haud caruit infirmitatibus. Quod autem ad leproſorum attinet curationes, inde nil quidquam arti noſtræ accedere potuit, ſiquidem ſacerdotum ordini præter nudam lepræ inſpectionem, præceptum fuit nihil. Sacerdotes vero ipſi, ſi quisquam alius, medicorum opera quam maxime indiguerunt, morbo non vno adflicti, vt probe Rabbi Maimon monuit, Multis ait, „morbis obnoxii fuerunt ſacerdotes, propterea quod carni- „bus fere veſcebantur, & leuiter veſtiti inter rem diuinam „amiculis lineis erant, quæ exuere toties & ſumere neceſſe „habuerunt, quoties aut operationem intermittebant, aut re- „dibant ad eam. Tum & in pauimento ſtabant ſemper, ne-

Herbarium arabica lingua in pauciſſimorum quorumdam manibus eſſe
nonnulli volunt, vnde magna in arte medica miracula patrauerint.
Sed quid porro cenſebimus de Fl. Ioſepho eiusque hiſtoria? is enim li-
bro VIII. Antiquit. iud. cap. 2. ex Salomone non medicum tantum, ſed
exorciſtam plane ſeu incantatorem exſculpſit, quod tanto regi profecto
in dedecus cedit. Ita vero ille l. c. de Salomone: Quin & eam artem
diuinitus conſecutus eſt ad vtilitatem & medelam hominum, quæ ad-
uerſus dæmones eſt efficax. Incantationes enim compoſuit quibus mor-
bi pelluntur: & coniurationum modos ſcriptos reliquit, quibus ceden-
tes dæmones ita fugantur, vt impoſterum numquam reuerti audeant;
atque hoc ſanationis genus nunc vſque plurimum apud noſtrates pollet.
Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum, in præſentia Ve-
ſpaſiani & filiorum & tribunorum & militum reliquos multos arrepti-
tios percurantem. Modus vero curationis erat hic: admoto naribus dæ-
moniaci annulo, ſub cuius ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomo-
ne indicatæ, ad eius olfactum per naſum extrahebatur dæmonium, &
collapſo mox homine adiurabat id, ne amplius rediret, Salomonis in-
terim mentionem faciens & in cantationes ab illo inuentas recitans &c.
Hactenus Ioſephi narratio, quam veriorem nemo credet, quam illam,
quæ turcorum Korano Sura XXVII. v. 40. ſeqq. a nequiſſimo Moha-
made conficta eſt, vbi Salomon inter alios miniſtros & dæmoues ſibi
famulantes & mira patrantes, habuiſſe, per circumſtantias ediſſeritur.

„que ſedere illis in toto atrio, in quo ſacra fiebant fas fuit. „Hinc languor, venarumque inflatio & mille mala. Igitur „delecti ſunt, qui publice ſacerdotum curarent valetudinem, „quibus præerat is, quem ממונה על החולים appellant &c. cf. Pet. Cunæus de republ. ebræor. lib. II. cap. XIIII.

§. VIII.

Ad ægyptios nos conuertimus, horum quoque luſtraturi diligentiam, quam in hac arte locauerunt antiquitus, primo vero ad Herodotum, Plutarchum, Diodorum & Clementem alex. ablegamus, deinde hoc quoque monemus, vetuſtiſſimorum populorum medicinam præter chirurgiam & qualemcumque botanices cognitionem, pauca nouiſſe alia, quam tamen ægyptii pro virili perficere conati ſunt, vtut tenuia adhuc videri poſſint, ſi cum facie, qua voſtro æuo medicina coruſcat, comparaueris. Interim diffitendum non eſt, Aegyptum veteri medicinæ plura dediſſe incrementa, vt & iam non medicos, ſed medicorum cohortes aluiſſe credendum ſit. Docet namque Herodotus hiſtoricorum antiquiſſimus, medicorum fuiſſe tantum numerum in Aegypto, quantus vix credi poteſt. *Iam medicina, inquit, apud eos hunc in modum eſt diſtributa, vt ſingulorum morborum ſint medici, non plurium, itaque omnia referta ſunt medicis. Alii enim ſunt ocularii, curandis oculis conſtituti, alii capiti, alii dentibus, alii alui partibus, alii morbis occultis.* Imo ne plura addamus, fama inde nata eſt, *ægyptios omnes eſſe medicos*, quemadmodum Gryllus apud Plutarchum dixit: *τȣς μεν αιγυπτιȣς παντας ιατρȣς ακȣομεν.*

§. VIIII.

Vt vero rem expediamus pauciſſimis primum monuiſſe iuuabit, quod litem H. Conringii ac O. Borrichii noſtram facere neutiquam velimus, alter quippe ægyptios vt ſuperſtitioſos & nugiuendulos magos depingit, nihil ſolidæ ſcientiæ ipſis, tamquam medicinæ, philoſophiæ & chemiæ expertibus tribuens: alter vero ægyptiorum partes contra Conringium ita tuetur, vt iisdem anteponere videatur nullos. Quare ea

ſaltem

ſaltem de medicinæ apud ægyptios incrementis proponemus quæ ex ſcriptorum quorumdam lectione cognouimus. In hoc vero negotio vtramque facit paginam Hermes ſeu Mercurius, quem tantis paſſim euehunt laudibus, vt eum, non hominem, ſed Deum quemdam fuiſſe facile credas. Habetur enim non aſtronomus tantum, ſed legislator quoque, philoſophus, medicus & chymicus. Quo tempore floruerit, ſcrutari eruditorum erit; nobis, vtpote curis practicis detentis, id pluribus agere non licet. Cicero libro III. de nat. deor. p. m. 341. quinque Mercurios commemorat, ex quibus, qui ficti aut veri fuerint, critici, viderint & chronologi. Exſtitiſſe quemdam Mercurium negabit forte nemo, nam ſi libros ſcripſit, in non entibus neutiquam habendus eſt; viginti millia librorum exaraſſe ferunt alii, alii triginta ſex millia, quingentos & viginti quinque: vtrum tot verſus ſeu paginæ cum quibusdam intelligendæ ſint, an alii quique ſuas, ſub Hermetis nomine, rhapſodias euulgauerint, non morabimur. Magis iccirco ſe nobis probauit numerus a Clemente alex. prolatus, libro ſtromat. VI. *Mercurius ſcripſit XLII. libros, XXXVI. continens omnem ægyptiorum philoſophiam reliqui ſex vero medicinam, agit nempe I. de ſtructura corporis. II. de morbis. III. de inſtrumentis. IIII. de medicamentis. V. de oculis. VI. de muliebribus.*

§. X.

Marsham interim in canone chronico aperte negat vetuſtiſſimum Mercurium ſcripſiſſe libros; quod ſi ita ſe habeat, de antiquiſſimo Mercurio medicinæ apud ægyptios ſtatore & vt fertur inuentore, paucula adferre valebimus, quoniam omnia illa, quæ paſſim Hermetis titulo ſuperbiunt, recentiori cuidam adſcribuntur. Hoc cum animaduertiſſemus, etiam ea, quæ ex Diodori libro I. de fabuloſis antiquorum geſtis, in medium proferre potuiſſemus. prætereunda iudicamus. Eſſent ceteroquin non contemnenda de origine & incrementis rei medicæ, apud ægyptios teſtimonia, cum v. g. in Ægypto ſibi relata referat, Mercurium fuiſſe regi Oſiridi &

Iſidi reginæ a conſiliis ſecretioribus, eamque docuiſſe medicinam aliasque artes non paucas, in quibus vt & in medicina in primis, tantopere profecerat, vt multa pharmaca humano generi ſalutaria inueniſſe illa dicatur. Inde & traditio quibusdam impoſuit, dari nimirum emplaſtrum ab Iſide inuentum & ab auctore Iſis dictum, cuius & Iac. Hollerius medicus olim Pariſinus meminit, de mat. chir. lib. III. cap. 2. p. 386. *Sequitur*, inquit, *Iſis illa ſacra, & e templorum adytis repetita, quæ iudicio veterum omnia emplaſtra ſuperat. Ex Vulcani templo Ægypto translata eſt, hieroglyphicis primum deſcripta.* Laudat hanc compoſitionem l. c. Hollerius ad viginti & aliquot affectus, orationemque ita finit: *breuiter, præter cetera admiranda eſt.* Verum enim vero cum ipſe Diodorus hæc aliaque ceu fabuloſa antiquorum geſta referat, nihil inde veri certique ex fabuloſis elicere audebimus, quod præterea ſciamus, a moribus Ægyptiorum minime abhorrere, vt ſua, quæcumque poſſint, ſicuti græcorum gens, tamquam diuinitus orta, commendare & anguſtiora reddere ſtudeant, monente Æliano var. hiſt. lib. XIIII. cap. 34. Quid? quod Pauſanias in phocicis p. m. 881. memoria prodidit, *nil Iſidem ſignificare aliud, quam terram &* Plutarchus libro de Iſide & Oſiride confirmat, *Ægyptios Nilum habere pro emanatione Oſiridis, terram vero putare eſſe Iſidis corpus*, & cetera. Quare comtas haſce fabellas, eo, quod parum lucis noſtris meletematibus adfundere poſſint, vltro repudiamus, eas omnes, ſuis, ſi quos inuenerint, relicturi patronis.

§. XI.

Cum itaque ob monumentorum fide dignorum penuriam, *parum certi de antiquiſſimis medicinæ apud Ægyptios originibus eruere liceat*, ad ſequentes temporum periodos properabimus: ſtrictim ea, quæ nouimus expoſituri. Primo quidem rei pharmaceuticæ ac vnguentariæ deditiſſimos fuiſſe, pluribus variorum firmari poteſt teſtimoniis, huic enim rei operam eo felicius nauare potuerunt, quo fertiliori gauiſi ſunt

ſolo.

ſolo. Optima namque & præſtantiſſima, longeque plura plantarum genera Ægyptus tulit, quam P. Alpinus de plantis Ægypti recenſuit, vt adeo mirum non ſit, eos tantopere in medicamentorum & vnguentorum compoſitiones incubuiſſe. Huius ſe rei teſtem etiam præbet Plinius, qui libro XIII. cap. 3. *Ægyptum, terrarum omnium vnguentis, ſcribit, accommodatiſſimam.* Per multum omnino tribuerunt vnguentis Ægyptii, vt morbus pæne non fuerit, cui non vnguento mederi ſtuduiſſent. Tandem vero vnguentorum vſus, in peſſimum abuſum conuerſus eſt, vti Clemens Alex. non ſine indignatione libro II. ſtromat. narrat: *ægyptios vnguentis ita inhiaſſe, vt matulas propemodum delinirent.* vid. Plin. libri XIII. cap. 1. 2. 3. de vnguentis Ægypti.

§. XII.

Sed nec corporum ſeu cadauerum humanorum neglexerunt ſectiones, morborum cauſas in defunctorum corporibus ſcrutantes, Plinius lib. XIX. cap. 5. de raphano faciens verba, hæc addit: *Tradunt & præcordiis neceſſarium hunc ſuccum, quando phthiſin cordi intus inhærentem, non alio potuiſſe depelli, compertum ſit in Ægypto, regibus corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus.* Quibus calculum addit album Galenus, dum medicinæ tironibus Alexandriam, tamquam huic ſtudiorum generi valde aptam, *libro I. de anat. admin.* commendat: *oſſis humani ſpeciem accurate perdiſcas; quod quidem Alexandriæ, multo facies facilius, vbi medici oſſium diſciplinam auditoribus ante oculos exponunt.* vid. A. Laurentii dedicationem Henrico IIII. Galliæ regi ſacratam, & hiſtoriæ eiusdem anat. præfixam. Ceterum dolendum, quod antiquiſſimorum temporum ſcripta interierint, e quibus de ægyptiorum profectibus medicis ferri potuiſſet iudicium, in primis ſi anatomica adhuc ſuperarent, quæ regi a) Athoſti, ſtrenuo rerum medicarum patrono tribui aſſolent.

§. XIII.

---

a) De hoc rege ſcribit Manethos: Αθωσις ὁ τουτου υιος τα εν Μεμφει βασιλεια

§. XIII.

Qualis Ægyptiorum antiquorum therapia fuerit, specialis præcipue, nos omnino præterit, quod ad generalem attinet, notum est e Clemente alex. aliisque, balnea & vnguenta vtramque fecisse paginam, ideo neque P. Alpinum de medicina Ægyptorum exscribere iuuaret, illa enim quæ adfert, quæue ipse, dum in Ægypto moraretnr vidit, ad instituta antiquissimorum, de quibus nobis sermo est, minime accedunt, barbariem quippe & turcicos nouitiorum incolarum mores nimium quantum olentia. Herodotus interim libro II. p. m. 133. locum, qui huc facit, suppeditat: *Singulis mensibus triduo purgant se uomendo atque intestina diluendo, gratia sanitatis conseruandæ, existimantes omnes languores hominibus creari ex cibis. Nam sunt alii ægyptii omnium virorum secundum afros maxime sano corpore, aëris, vt mihi videtur, beneficio, qui numquam immutatur, cuius mutationibus præcipue existunt in hominibus morbi.* Cetera, ne libelli moles crescat nimium, reticemus, eosque, quibus plura nosse arridet, ad Plinii hist. mundi ablegamus.

§. XIIII.

De chriurgia ægyptiorum dicendum esset, sed operæ non videtur pretium, a) qui enim habiti sunt peritissimi, ineptissime

---

σιλεια ωκοδομησιν. ιητρικην δ' εξησκησεν, και Βιβλȣς *ανατομικας συνεγραψεν.* vid. Euseb. Chronic. cit. Conringio de hermetica ægyptiorum vetere & paracelsicorum noua medicina cap. X p. 89. qui sequentia subdit: sed hoc fortassis est fabulosum. Certe huius libelli nusquam olibi fit mentio: eoque nec a nobis vel in laudem vel in vituperium eius dici quidquam potest. Conf. cel. Io. Hen. Schulzii hist, med. Period. I. Sect. I. caq. 3. §. 14. 15. 16. 17. 18.

a) Si enim verum est, quod Herodotus de illis scribit, indocti fuerunt in anatomicis; tradit vero ægyptios, cadaueribus defunctorum, ad condiendum sibi traditis, ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares extraxisse, & cauum medicamentis expleuisse &c. lib. II. p. m. 136. Sed forsan relata retulit historicus, cui, tanquam anatomiæ ignaro, ignoscendum, vt non male iudicat Clauderus in methodo balsamandi corp.

me negotium peregerunt, cum aliquando luxatus regis Darii pes reponendus esset: de quo inferius, membro IIII. huius sect. §. VI. Ad Assyriæ igitur Indiæque populos nos conuertemus. Vterque autem medicinam pæne contemsisse dicendus est, vt perpauca de illius augmentis possint adferri in medium. Verum si rem ipsam pensitauerimus curatius, Assyrios per quam diligentes, tam indicantium quam indicatorum reperiemus obseruatores, licet empiricos. Hæc autem de illis adnoteuit Strabo lib. XVI. p.m. 1082. & Herodotus lib. I. p. m. 92. quæ sequuntur: *Alteram item sapienter condiderant legem, languentes efferendi in forum, neque enim medicis „vtuntur, vt de eorum languore consulant, qui eos adeunt, si quis „& ipse eumdem passus est morbum, aut alium vidit patientem. Hæc „viri, qui illos adeunt, consulunt, hortanturque ad ea, quibus ipsi „effugerint similem morbum, aut alium nouerunt effugisse. Nec fas „est, cuiquam, languentes præterire silentio, nec ante, quam explo„rauerit, quonam ille laboret languore.* De Indiæ vero populis eorumque methodo medendi satis truculenta, talia obseruauit Herodotus libro III. p. m. 229. f. *Quoties ciuium aliquis ali„quaue ægrotat, virum quidem sui maxime familiares interimunt, „quod dicant, illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum. „Et licet se neget ille ægrotare, nihilo minus isti non ignoscentes „necant eum,* a) *epulanturque. Mulieri vero suæ maxime neces„sariæ idem quod viri viro faciunt. Qui autem ad senium perue„nit, eo itidem mactato pascuntur. Ideoque, cum hac de causa, tum „quia omnes, qui in morbum incidunt necantur, non multi sane eo-*

 „rum

corp. hum. Interim tamen obseruat Gellius noct. attic. lib. X. cap. X. quod iidem ægyptii tenuissimos neruos scrutati fuerint, quod de industria non spernenda, esse posset testimonium.

a) Paulo mitiores deprehendit barbaros Indiæ, occidentalis Americus Vesputivi qui, in prima sua nauigat. p. m. 160. narrat, quod illi, suos ægros morti iam vicinos, in siluam deferant, & vno die toto circa ipsum saltent. ingruente vero nocte, appositis prius aqua & opsonio, domum remeent, æger interim si conualuerint & domum redierit humanissime suscipitur, si vero fatis cesserit, neque sepelitur

„rum ad ſenectutem perueniunt. Hæc itaque egregia indorum therapia eſt, in compendium quidem redacta, ſed muribus aliisque inſectorum generibus conuenientior, quam hominibus. Sed audiemus Strabonem de indis eorumque praxi alia narrantem, libro XV. p. m. 1032. *Circumuagantur incantatores, „qui medicari putantur, & ſolam fere hanc medicinam eſſe, nam pro„pter vitæ frugalitatem & vini abſtinentiam, aut morbi non ſunt, „aut ſi qui ſunt, eos ſophiſtæ curant.* Inde non inepte concludendum, indorum poſteros eo plus ſapere didiciſſe eoque factos eſſe manſuetiores, quo iunior Strabo fuerit Herodoto.

§. XV.

Ad græcorum tandem progrediemur gentem, de cuius ſtudiis certiora multo, quam quidem de aliarum gentium moribus, nobis ſuppetunt, etſi certum ſit, quemuis populum ſuas habuiſſe medicinas, vtut nobis ignotas, millia gentium inquit Plinius, ſine medicis degunt, nec tamen ſine medicina, & Hippocrates multos ſanari teſtatur ſine medicis, neminem vero ſine medicina. Sic ſcytharum gens vt panaceam, ſuam laudat ſcythicen, tantaque de illa prædicat herba, vt fidem pene ſuperent legentium; Thracia gloriatur de remedio ſuo iſchæmone; euehit Hiſpania vettonicam & cantabricam; ſerratulam celebrat Italia; & græci vnico ſuo moly, omnibus in vniuerſum affectibus mederi ſe poſſe contendunt. Nulla ergo natio quamuis barbara, a) vel propter endemios maxime morbos, carere poteſt medicina, ordinariis licet deſtituantur chirurgiatris. Quod autem de Arcadiæ populo proditum legatur apud Plinium, eum medicaminibus plane non

a) De antiquiſſimis populis iam paſſim dictum: at ne quis de veritate huius rei dubitet, exemplo eam confirmabimus, ſcil. more medendi, barbaræ cuidam Indiæ, nationi proprio, mentionem eius fecerunt doctores gentium ad Malabaros miſſi Cont. XX. p. 488. ſeqq. Sie brachten zwey Nigubaren mit, welche der herr Gouverneur hernach in die miſſion gethan &c. Es iſt ſonſt eine art, die wilder, als andre heyden iſt. Wenn ſie vnpaſs worden, haben ſie keine beſſere medicin gewuſt, als daſs ſie einen rohen fiſch aufgefreſſen, wodurch ſie alſobald curiret worden.

non vti, absolute non est accipiendum, hic enim medicinam in lacte quæsiuerat, forsan & inuenerat, singuli namque circa ver copiose lac biberunt, quoniam tunc maxime succis herbæ turgeant; biberunt autem vaccinum, quia boues omniuoræ fere sunt in herbis.

§. XVI.

Græcos itaque antiquissimis iam temporibus (de æuo Hippocratis enim & quæ tempora illud secuta sunt, in præsenti sermo non est) medicinæ studia h. e. vulnerariam & simplicem diæteticam iuncta herbarum notitia, coluisse, permulti scriptores testantur, quibus citandis, nobis inhærendum non est. Mam & triuium nouit, *homines circa corporis curam duas inuenisse scientias: την ιατρικην και την γυμναστικην*, quarum illa sanitarem, hæc vero bonum habitum imponit. Plutarchus de educ. puer. cap. IX. Homines auctor nominat, & suos tamen intelligit ciues, quibus aliæ deinceps nationes acceptam vtramque retulerunt artem. Ægyptii gymnasticam fecerunt nihili, teste Diodoro, *& apud romanos sero eadem introducta est consuetudo*, *quod &* Vitruuius *fatetur de archit. lib. V. cap. XI. p. m.* 92. (edit. Florent.) item G. J. Vossius *de quatuor artibus pop. p. m.* 15. Græci contra magni hanc artem æstimauerunt, quoniam eiusdem exercitium perutile visum est, quo vtpote, & corporis affectibus mederi, & iuuenum animos bellicosos reddere valerent, ita tamen, vt chirurgiæ & qualiscumque botanices exercerent studium. Hæc ergo antiquissimorum græcorum fuerat medicina, hæ eius partes, veluti Homerus auctor est, scriptorum græcorum, qui ad manus nostras peruenerunt, sine controuersia antiquissimus; laudat vero varios medicinæ peritos seu chirurgiatros, qui in bello troiano heroibus vulneratis aliisque ægris bonis auspiciis tulerunt opem, quorum vnus Pæon est, cuius Iliad. ε meminit p. m. 208. (ed. Argent.)

ὡς φατο, κ̀ παιήων ανωγει ιησαθ̀ς
τῳ δ' επι παιηων οδυνηφατα φαρμακα πασσων
ηκεσα τ' - - - -

Sic dixit (ſcil. Jupiter) & Pæonem iuſſit curare illum, huic autem Pæon dolorem ſedauit, lenientia inſpergens medicamina. Alter eſt Machaon eiusque frater Podalirius, ambo Æſculapii, celebris olim medici, filii, de quibus varia paſſim narrat Homerus, vc. Iliad. Δ p. m, 140. Machaonem, vulneratum Menelaum obligantem his deſcribit verbis:

- - - ταχιςα μαχαονα δευρο καλεσσον
φωτ', ασκληπιȣ υιον αμυμον⸗ ιητηρ⸗

ie quam citiſſime Machaonem huc accerſe, virum Æſculapii filium optimi medici. Et paulo poſt:

αυτικα δ' εκ ζωςηρ⸗ αρηρ⸗ ειλκεν οϊςον
τȣ δ' εξελκομενοιο, παλιν αγεν οξεες ογκοι

ie ſtatim ex balteo bene aptato traxit ſagittam, dum vero extraheretur, retrorſum fracti ſunt acuti anguli ſc. cuſpidis. & paulo poſt:

αυταρ επει ιδεν ελκ⸗ οθ' εμπεσε πικρ⸗ οϊς⸗
αιμ' εκμυζησας, επ' αρ ηπια φαρμακα ειδως
πασσε, τα οι ποτε πατρι φιλα φρονεων πορε χειρων

h. e. poſtquam autem vidit vulnus vbi incidit amara ſagitta, ſanguinem exſugens, lenia medicamenta inſpergebat peritus, quæ ſuo quondam patri diligens dedit Chiron. Laudatur hic Chiron, maior Æſculapio annis, forſan & doctrina, quem Æſculapii fuiſſe præceptorem antiqua eſt traditio, ſic enim Pindarus poëta modulatur:

και ρα μιαν μαγνητι φερων
πορεν, κενταυρῳ διδαξαι
πολυπημονας αν-
θρωποισιν ιασθαι νοσȣς

i. e. Apollo ſcil. pater, Æſculapium filium magneſio adducens commiſit Centauro ſcil. Chironi, ad docendum multinocuos hominibus ſanare morbos. Sed ad tertium pergimus chirurgia-

giatrum, is Patroclus eſt, qui Eurypylum curandum in ſe ſuſcepit, de quo idem Iliad. λ. p. m. 404. vbi ισοθεος φως diuinus vir audit ſeu ad mentem Hippocratis deo ſimilis, pag. 415. autem, operationis fit mentio, quam ante vulneris deligationem peregit h. m.

- - - θεραπων δε ιδων υπεχευε βοειας
ενθα μιν εκτανυσας, εκ μηρȣ ταμνε μαχαιρη
οξυ βελος περιπευκες. απ᾽ αυτȣ δ᾽ αιμα κελαινον
νιζ᾽ υδατι λιαρω. επι δε ριζαν βαλε πικρην
χερσι διατριψας, οδυνηφατον, η οι σπασας
εσχ᾽ οδυνας. Το μεν ελκος ετερσετο, παυσατο δ᾽ αιμα.

h. e. famulus autem aſpiciens ſubſtrauit pelles bouinas, ibi ipſo extenſo, e femore exſcidit cultro acutum telum acerbum, ab ipſo autem ſanguinem atrum abluit aqua tepida, impoſuitque radicem amaram manibus contritam, mitigatoriam, quæ ei cunctos ſedauit dolores. Atque ita vulnus ſiccatum eſt & ſanguis ceſſauit.

§. XVII.

Hæc itaque niſi omnia nos fallunt, ſatis demonſtrant, inter græcos antiquiſſimis temporibus medicinæ, hoc eſt chirurgiæ & botanices viguiſſe ſtudium, qui enim vel obiter tantum tempus troiani belli perpenderit, is facile de Chironis, Æſculapii, Machaonis, Patrocli, Pæonis & Podalirii aliorumque ætate iuſtum feret iudicium, ſiue Petauii ſiue Caluiſii computum annorum ſequatur; & quamuis ſint, qui bellum troianum plane negent, a) nemo tamen, quod nos ſciamus

a) In fabulis habuit omnino Cicero, qui in libro de amicitia tomo opp. III. p. m. 573. hæc pronunciat: nec enim, vt ad fabulas redeam, Troiam Neptolemus capere potuiſſet, ſi &c. Et lib. II. de diuinat. p. m. 384. Quæ enim vita fuiſſet Priamo, ſi ab adoleſcentia ſciſſet, quos euentus ſenectutis eſſet habiturus? Abeamus a fabulis; propiora videamus. Eamdem in ſententiam iuerunt Quinctilianus, Iuvenalis, Lucanus, Tacitus aliique: v. c. Dio Pruſæus, dictus chryſoſtomus in prolixa oratione de Ilio non capto. Auguſtinus profecto pro mendacio habet; & ipſe celebris

mus Homerum exſtitiſſe negauit, quem circa finem tertii millenarii ſeu anno mundi MMMVIIII. floruiſſe plerique contendunt. vid. Io. Clerici comp. hiſt. vn. p. m. 28. Dion. Petauii rationar. temp. lib. I. cap. XII. Dav. Chytræi chronol. p. m. 155. Sethi Caluiſii opus chronol. p. m. 43. ſeq. Ioach. Langii hiſt. eccl. pag. 766. ſeqq. Etiamſi bellum in non entibus hiſtoricis haberetur, neruus tamen probandi nihil propterea amittet roboris, imo ſi cæcutiens Homerus reliqua finxiſſet omnia, non tamen vulnus deligandi modum finxit, diu quippe ante hominem, vſitatum. Quare teſtis nobis eſt locuples, primo, quod græci antiquiſſimis temporibus medicinam coluerint; ſecundo, quod iisdem temporibus medicus idem fuerit, ac opem ferens corporis læſionibus, & plerumque tantum externis, vt nihil hac ratione reliquum ſit, quod in ſuam rem conuertere poſſent ii, quibus medicinam a chirurgia disiunctam confingere volupe eſt, de quo, dicendi locus ſe nobis offeret in ſequentibus.

§. XVIII.

Inter antiquiſſimos denique Græciæ medicos eminent Machaonis & Podalirii filii horumque poſteri, quorum ſolertia factum eſt, vt medicinæ erigerentur gymnaſia, excolendo, ac quoad fieri poſſet, perficiendo ſtudio ſalutari apta, horum celeberrimum fuit Coum, vtut Rhodio & Cnidio ſua non detrahenda laus ſit. Poſtquam enim compertum habuiſſent, quod nec craſſo corporis motu, nec manuum opera, omnibus & in primis internis læſionibus auxilium adferri poſſet, attentius rem omnem rimati ſunt, chirurgia ſua, quam eorum aui & proaui exercuerunt, minus contenti: vnde diæteticam & ſignorum doctrinam cum pharmaceutica, pro ſæculi conditione, tractauerunt ſtudioſius, maioremque in his adepti ſunt famam, quam patres, de quibus Celſus in præf. libro I. præ-

---

lebris quondam Iac. Tollius in fortuitis p. 257. & alibi, pro inſtituto ſuo in hac ipſa de Troiano bello, narratione, nil niſi fabulam, & proceſſum chemicum in ea latentem inueniſſe ſibi viſus eſt,

præmiſſa hæc retulit: Podalirius & Machaon. ducem Agamemnonem ſecuti, *non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet, has partes medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, easque eſſe vetuſtiſſimas.*

§. XVIIII.

Erectis vero ſcholis artem obſeruationibus augere, eamque alios docere annisi ſunt ii, quos nominare ſolebant philoſophos, quorum induſtria, varia vitæ humanæ ſalutaria, obſeruata, explicata artique addita ſunt, quæ abſcondita alias manſiſſent diutius. Laudem inter hos non poſtremam meruit antiquus & celebris philoſophus Pythagoras, de quo Porphyrius in vita Pyth. narrat, illum quidem verſatum fuiſſe cum amicis bene valentibus, *καμνοντας δε τα σωματα εθεραπευε* ſed & corpore ægros curauiſſe. a) *Quantum muſicæ in curandis affectibus tribuerit*, hiſtoria philoſophica tradit. vid. Th. Stanley in pyth. p. m. 739. Reliquos tandem medico-philoſophos, fama & doctrina claros, vt Empedoclem, quem philoſophum venticogum den philoſophiſchen windfænger, appellant, nec non Eudoxum, Epicharmum, Herodicum, Democritum aliosque plures data præterimus opera, quia a D. Laërtio & Stanleio actum, de nouo agere nequaquam expedit. Cf. I. H. Schulzii hiſt. medicinæ period. I. ſect. II. cap. 7. de poëtis & philoſophis græcis &c. medicinæ cultoribus. it. period. I. ſect. III. cap. 6.

§, XX.

Quidam, vt merita græcorum in rem medicam eo demonſtrent clarius, etiam hoc prædicant, *quod & mulierculæ,*

nimio

a) Iamblichus in vita Pythag. cap. 29 ita diſſerit. *Maxime ex colebant* (pythagorei ſcil.) *partem diæteticam*, pharmacis minus, & vix alibi quam in vulneribus & vlceribus curandis vtebantur: vnguentis & cataplasmatibus, magis quam reliqui curabant: *omnium autem minime ad ſecandum vrendumque veniebant*; interdum incantationibus ad curendas corporis læſiones vtebantur.

nimio studii medici desiderio captæ, eidem se dederint, atque in ægrorum vsum exercuerint, vt, vbi deessent viri medici, illorum vices explerent ipsæ. Verum enim vero palmam his præripuerunt vt fas est, viri, ad labores quosuis perferendos, fæminis aptiores, licet antiquitas Chironis & Æsculapii filias non mediocribus euehat laudibus, quibus nec postponenda erit Agameda, Augeæ filia natu maxima, quæ tot medicamenta sciuisse fertur, quot lata terra aluerat. Homerus Il. λ. p. m. 410. *η τοσα Φαρμακα ηδη οσα τρεφει ευχρεια χθων.* Quæ catachresis poëtica, si quis rite eam intellexerit de pluribus pharmacis, aliquid veri continere vtique poterit. Hoc minimum negari nequit, de sexu muliebri, quod eadem temeritate antiquis temporibus rebus practicis, æque ac hodie, sese immiscuerit, de euentu parum solicitus, curioso *πολυπραγμοσυνης* pruritui magis, quam ægrotorum saluti inseruiens. Nihilo minus factum est, vt laudibus ac statuis publicis etiam post fata honorarentur & tamquam salutis colerentur numina, veluti Pausanias de Æsculapii filiabus tradit, quas omnis Græcia religiose coluit. At Medea, si Ouidio fidendum, reliquis anteferenda erit omnibus, famosæ enim illius operationis, quam chirurgiam appellitant infusoriam prima videtur exstitisse auctor, a) adfirmante id Ouidio lib. VII. metamorphos. vbi curationis modum & singulas Medeæ encheireses fuse & graphice describit, quibus Æsonem senio & marcore

a) Sat quidem magnifice Medeæ, artes oescribit Ovidius, verum enim vero, si & Palæphatum *περι απιστων* cap. 44. audiuerimus, tantam rei medicæ peritiam ei vix tribuemus, quantam alii tribuunt, refert nimirum sequentia, quæ ex versione lat. hic opponimus: De Medea, vt ferunt, homines recoquente, atque ex senibns faciente iuuenes, res ita accidit. Prima illa eiusmodi florem inuenit, qui & albos reddere capillos, & nigros posset, atque ita, qui pro albis nigricantes adamarent, efficiebat, vt habere viderentur. Inuentis etiam a se balneis, caloribus fouebat volentes; non tamen in publico, ne quis medicorum, artem addisceret. Huic rei nomen erat decoctio &c. Medicastram itque illam fuisse in aprico est, ex genere earum, quas germani Marcktschreyerine appellant.

core confectum, reiuuenescendi facultate ornauerat, si credere fas est. Ita vero Naso l. c.

Arte mea soceri longum tentabimus æuum &c.
Nunc opus est succis, per quos renouata senectus
in florem redeat, primosque recolligat annos &c.
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat
interea calido positum medicamen aheno
feruet, & exultat spumisque tumentibus albet.
Illic æmonia radices valle resectas
seminaque & flores & succos incoquit atros,
adiicit extremo lapides oriente petitos &c.
omnia confudit, summisque immiscuit ima
- - - - - - - stricto Medea *recludit*
ense senis iugulum, veteremque exire cruorem
passa replet succis. Quos postquam combibit Æson
aut ore exceptos, aut vulnere: barba comæque
canitie posita nigrum rapuere colorem &c.

§. XXI.

Sed dicendum adhuc de Æsculapii posteris, quibus in primis annumerandus est clarissimus Hippocrates, scholæ Coæ alumnus ac magister optimus, de quo tamen verbosi esse nolumus, nam rem ipsam scripta eius loquuntur. Quod vero ad sectas denique empiricorum, methodicorum & rationalium attinet, de illis, vt & de medicis, qui quamque sectam illustrem reddiderunt, nihil a) itidem commentabimur; otium

nobis

a) In genere adnotasse de sectis antiquorum sufficiet, quæ de illis breuiter, pronunciauit Mart. Rulandus in præfatione, Centuriæ primæ curation. præfixa: Secundum hæc in arte medica quatuor sectæ sunt exortæ,

nobis fecerunt alii, quos inter primo loco laudamus Clericum in historia medicinæ ante aliquot annos iterum nitide edita; Io. Henr. Schulzium in eleganti opere 1728. edito. Imo nec operæ videtur pretium, etiamsi singulas percurreremus diuersarum ætatum sectas, nusquam tamen id, cuius causa plures scriptores euoluimus inueniremus.

§. XXII.

Ceterum mythologias percurrere non fuit animus, licet vera illis inesse credant: ita placuit viris omni laude nostra maioribus, Iacobo nempe Tollio in fortuitis a. MDCLXXXVII. Amst. editis, omnem Græcorum, Phœniciorum, Ægyptiorumque fabularum historiam, eo explicare modo, vt chemiæ facta & arcana retegeret: cui ob argumenti similitudinem, opportune accensendum est illud cel. quondam G. W. Wedelii meletema, quo Herculem medicum fuisse etiam atque etiam contendit, ac celebratos eius XII labores de grauiorum morborum felici curatione perquam scite explicat. vid. exercit. medico-philol. cent. II. dec. I. exercit. III. de Hercule medico. Hæc ergo quamuis ita se habeant, omittenda esse duximus, scopo enim nostro nihil adferunt commodi, præter ea nos quoque medicinæ historiam neutiquam conscribere, sed aliud longe agere decreuimus, scrutari nimirum *an in historiarum pandectis inuestigari possit, vel testimonium, vel argumentum, idque validum, pro stabilienda hac confusione & chirurgiæ ab ipsa medicina, infausta separatione.* Verum omnia, quæ legimus veterum scri-

ortæ, λογικη, εμπειρικη, μεθοδικη, μεση. Rationalis est, quæ circa rerum naturalium cognitionem versatur. Empirica, quæ soli experientiæ innititur, non rationi, non causis, non naturalibus actionibus. Methodica ostendit artis methodum seu viam compendiariam breuem, facilem & perspicuam. Media (pergit auctor) secta est, quæ experientiam coniungit cum ratione, & tradit causarum, morborum, remediorumque communium & propriorum cognitionem, iunctam cum experientia. Hæc hæresis optima est & certissima. Vid. Wedelii physiol. Sect. I. cap. 2-7.

ſcripta quæue percontati ſumus, hanc vti hodie videmus, ignorant disiunctionem, vltimis ferme temporibus in Galliæ regno, primum introductam.

§. XXIII.

Didicimus vero, quod ad ſtatum medicinæ antiquum attinet, eius conditionem fuiſſe longe ſimpliciſſimam, & moribus ſæculorum accommodatam. Laborioſum vitæ genus, victus frugalitate contentum, medicos non popoſcit, plagas vero & læſiones exterioribus corporis partibus inflictas, natura, optima morborum magiſtra, vt ſolet, reſarciuit, licet non raro & herbæ, herbarumque ſucci in auxilium vocati ſint. Quantum porro *gymnaſticæ tribuerint veteres*, eorum monumenta probant, tanti enim fiebant corporis exercitia, vt illorum ope, morbos quoſuis curare ſuſtinerent reciperentque. His tamen pollicitationibus non ſemper reſpondit euentus, a) *non enim motui corporis omnes parere poſſunt morbi*; quod iam Hippocrates perſpexit, ideoque Prodicum gymnaſtica in morborum curatione abutentem, merito redarguit lib. VI. de morb. vulgar. tmemate III. p. 1176. Prodicus febricitantes cum multis obambulationibus tum multa lucta & fomentis conficiebat, idque male: febris enim fami, luctæ, obambulationibus, curſibus, frictioni, iisque omnibus eſt inimica. Πόνῳ πόνον laborem labore curauit. b) Multis equidem exercitia

 gymna-

a) Imo ii ipſi, qui in gymnaſiis & palæſtris nimium quantum præ aliis ſe exercuerunt, illi, inquam, præ aliis etiam ſuos ſenſerunt morbos, opinione grauiores, qua de re vid. Bern. Ramazziui de morbis opificum cap. XXXIV. & XXXVII.

b) Non aliter ſolent americani, de quibus Am. Veſputius in prima nauigat. p. m. 160. hæc profert: Quum eorum quem piam febricitare contigerit, hora, qua febris ipſum aſperius inquietat, ipſum in frigentiſſimam aquam immergunt & balneant, poſtmodumque per duas horas circa ignem validum, donec plurimum caleſcat, currere & recurrere cogunt, & poſtremo ad dormiendum deferunt, quo quidem medicamento complures eorum ſanitati reſtitui vidimus. Feliciores ergo hi ſunt quam fuit olim Prodicus, qui ægros πόνῳ conficiebat, barbari neutiquam.

gymnaſtica ſaluti fuiſſe nullum eſt dubium, nec tamen propterea tamquam vniuerſalis medicina omnibus & ſemper præſcribenda. Straton Corrhagi filius ex ſplene laborans, diuitiis alias abundans & otio diffluens, ſanitatem in palæſtra recuperauit. Ita Democrates pugil quum laboraſſet ex pedibus, ad certamina venit: conſiſtens in ſtadio deſcripſit ſibi circum, & iubebat aduerſarios vt ſe expellerent extra lineam, at cum nequirent illi, victi ſunt, hic vero ſanatus abiit. Ælianus var. hiſt. lib. IIII. cap. XV. Quanti gymnaſticam fecerit Galenus paucos fugiet, gloriatur enim ſe permultos illius beneficio & reſtituiſſe & conſeruauiſſe.

§. XXIIII.

Creſcentibus vero opibus auctisque diuitiis, antiquorum defecit virtus, luxuria optimos tunc moros corrupente, quare nec moleſta gymnaſticæ exercitia placuerunt amplius, nec auxilium ex voto præſtare potuerunt, vnde diætetica ſignorum doctrina, pharmaceutica aliaque excogitata, aut ſi mauis maiori induſtria reuocata & culta ſunt; ad medendum, ipſa gymnaſtica, multo commodiora & plus, quam lucta, mollitiei ſpirantia, cum vero ne his quidem vitæ obtinuiſſent longæuitatem inuentis ſuis, quæcumque poterant, addiderunt, vnde tot obſeruationum myriades, cadauerum ſectiones, & multiplices medicamentorum compoſitiones enatæ ſunt, quibus ſanitatem tueri, aut amiſſam recuperare ſtuduerunt, quorum interfuit. Hac itaque ratione incrementa medicina ſumſerat; perdiri mores, perdiderunt corpora, eorumque incolumitatem, quam reſtituere conabantur medici, ad id negotium eo alacriores, quo maior apud quemque mercedis aut lucri ſpes viguerat. Sed Celſum audiamus in procem. p. m. 2. *Veriſimile eſt, inter non multa auxilia aduerſæ valetudinis, plerumque tamen eam bonam accidiſſe ob bonos mores, quos neque deſidia, neque luxuria vitiarunt. Siquidem hæc duo, corpora prius in* Græcia, *deinde apud nos afflixerunt.* Neque prætereundus videtur Seneca Epiſt. 95. Fuit ſine dubio, vt dici-

dicitis, vetus illa ſapientia, cum maxime naſcens, rudis, non minus, quam ceteræ artes, quarum in proceſſu ſubtilitas creuit. Sed ne opus quidem erat remediis diligentibus, nondum in tantum nequitia ſurrexerat, nec tam late ſe ſparſerat: poterant vitiis ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia. Nunc neceſſe eſt, tanto operoſiora eſſe munimenta, quanto valentiora ſunt quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit herbarum ſcientia, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paullatim: deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam cœpit non ad tollendam ſed imitandam famem quæri: & inuentæ ſunt mille condituræ, quibus auiditas excitaretur. Quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor & neruorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies: inde incerti labentium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusque venter dum male aſſueſcit plus capere, quam poterat: inde ſuffuſio luridæ bilis & decolor vultus, tabesque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſæuientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? immunes erant ab iſtis malis, qui ſe nondum deliciis ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure verſata: excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat.

terat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa valetudo. multos morbos multa fercula fecerunt & reliqua, Pergit Seneca: Inde tam nullo ægrotamus genere quam vivimus. Maximus ille medicorum & huius ſcientiæ conditor, fæminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ iam capillis deſtituuntur & pedibus ægræ ſunt. Non mutata fæminarum natura ſed vita eſt, nam cum virorum licentiam æquauerint, corporum quoque virilium vitia æquauerunt. Non minus pervigilant:, non minus potant, & oleo & mero viros prouocant: æque inuitis viſceribus ingeſta per os reddunt, & vinum omne vomitu, remetiuntur: æque niuem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis. Libidine vero, nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas deæque male perdant. adeo peruerſum commentæ genus impudicitiæ: viros ineunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum ac naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi, cum tot fæminæ podagricæ caluæque ſint? beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt: & quia fæminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus. Antiqui medici neſciebant dara cibum ſæpius, & vino fulcire venas cadentes: neſciebant ſaniem emittere & diutinam ægrotationem balneo ſudoribusque laxare: neſciebant crurum vinculo brachiorumque latentem vim & in medio ſedentem, ad extrema reuocare. Non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculornm pauciſſima.

§. XXV.

Ad Romanorum tandem in re medica quod attinet ſtudia, illa primis temporibus perquam tenuia fuerunt, quæ ſecutis temporibus tamen magis atque magis efflorescere viſa, vltimo tantopere ex culta ſunt, vt non amplius eſſent medici, ſed medicorum variæ ſectæ, neque darentur remedia, ſed remediorum centuplex farrago.

§. XXVI.

§. XXVI.

Patres quoque familias medicamentorum præparationi vacauiſſe, rei ruſticæ ſcriptores Cato & Palladius docent; multas enim remediorum formulas œconomicis ſuis inſerſerunt præceptionibus. Ipſe Cato, iuratus quaſi medicorum græcorum hoſtis, formularum ſyntagma, ſe poſſidere profeſſus eſt, quo filio, ſeruis, familiaribusque mederetur. vid. Plinius lib. XXVIIII. cap. I. floruit ergo in Latio artis ſalutaris ſtudium, & quidem ad ſuperſtitionem vſque. Quid enim quæſo, luxationis ex cantatio, quam Cato præſcribit, aliud, quam ſordidam ridiculamque ſuperſtitionem a) olet? ita vero ille libro de re ruſtica num. 160. (edit. Hier. Commelin. Haidelb. MDXCV.) *Luxum ſi quod eſt, hac cantione ſanum fiet, harundinem prende tibi viridem p. IIII. aut V. longam. Mediam diſtinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio S. F. motas vera daries dardaries aſtataries diſſunapiter, vſque dum*

a) Hæc olim cæca Romanorum. gens: quis vero iam chriſtianis condonauerit? quando & ipſi turpiſſimo conatu morbos carminibus excantare non vno modo ſtudent. Exemplo ſunt Islandiæ, habitatores, qui omnis generis morbos cantionibus curare non dubitant, quarum quinque genera cum Th. Bartholino communicauit Pet. Reſenius regis olim Daniæ, adminiſter, quæ latine vertit idem Bartholinus in tr. ſuo de medicis poetis p. m. 80-92. vbi ſimul ſpeciminis loco, ex quouis genere, aliquot verſiculos lingua islandica ſcriptos in gratiam curioſorum adpoſuit ibidem; ad quem remittimus. Interim multo videtur toletabilius Romanorum huat! hanat &c. quam Islandorum horrendus nominis diuini abuſus, & immanes exſecrationes vbique brutæ plebis inconditos mores olentes, qua de re ſecundum præcipue carminis genus teſtimonium præbet loco citato p. m. 82-87. Conf. Coll. Vratisl. Tom. III. p. 555. vbi ſimilis ſanandi methodus, nequiſſimæ vetulæ ſolennis, a medico Pruſſo deſcribitur ac pro merito damnatur & alia a medico Hungaro his verbis: vetula quædam filio ſuo epileptico verba quædam in aurem eius inſuſurrat, & paroxyſmus ex templo ceſſat. Verba autem haſtenus nemini reuelauit. Coll. Vrat. tom. IV. p. 1178. Quanti alias ipſi quoque Iudæi incantationes fecerint, in percurandis morbis, ſupra iam adnotauimus ad Sect. I. membr. III. §. 6. ex Ioſephi Antiquit. lib. VIII. cap. 2. Ceterum negari nequit, quod hæc lues omnem fere Europam inquinauerit: quemadmodum hinc inde adhuc plures deprehenduntur.

dum coëant. Ferrum insuper iactato, vbi coierint & alterv alteram tetigerit: id manu prende, & dextra sinistra praecide. Ad luxum aut ad fracturam alliga, sanum fiet, & tamen quotidie cantato in alio, S. F. vel luxato. Vel hoc modo: huat hanat huat ista pista sista domiabo damnaustra, & luxato. Vel hoc modo: huat haut haut ista sis tarsis ardannabo dunnaustra. Hæc profecto Catonis aliorumque romanorum therapia maiori laude dignior non est, quam illa, quam mulierculæ in Tartaria Circassensi degentes exercent, de quibus videatur Tauernierii itinerarium lib. III. cap. XII. vel is si defuerit Paschius de inuentis nou.-antiquis cap. VI. p. m. 425. *Es hat auch alte weiber vnter ihnen, die den vnpassen wider zur genesung helffen wollen, vnd zwar wie folgt: sie begreiffen gleich den leib des patienten, zumal den ort wo er schmerzen leidet, welchen sie viel vnd oft betasten, lassen indessen manchen gröltzer oder rülpser, vnd zwar ie grösser der schmertz des krancken ist, ie stärcker rülpsen selbige weiber. Die anwesende hingegen halten dauor, der arme patient müste viel leiden, weil sie so grosse rülpser vnd stinckende seuffzer hören.*

§. XXVII.

Verum enim vero *romanos deseremus, magis necessaria scrutaturi, eorum enim merita in artem medicam tanta non fuerunt, vt in enarrandis iis tempus aliquis terere voluerit:* hi namque in arte tam salutari cæcutire maluerunt quam erudiri. Hinc est, quod græcos medicos ex vrbe eiicere decreuerint imo quod amplius est, iniquis decretis, improbissima iunxerunt facta. Nam bonum Archagathum chirurgiatrum græcum, cui paulo ante ius dederant quiritium, cuiusque curationibus magnopere delectati sunt, illum inquam, quod officii partes interdum vrendo, aliquando & secando, pro virili expleret, domo abreptum, obruerunt lapidibus: stupidissime interserentes causam: barbaros ie græcos iurasse per suos medicos, tamquam per carnifices, romanos, accepta mercede disperdere. Vnde iudicatu difficile non est, romanos tam laudabiles medicinæ patronos non fuisse, quales facti videntur tempore Celsi.

§. XXVIII.

Tot humanæ induſtriæ experimentis vltimo tandem annectimus *caſu inuenta quibus ars ſanandi augeri potuit*, & quorum non ſpernandus proferri poſſet numerus, ecquis etiam, niſi tiro artis rudior, iſthoc ire audebit inficias? noua profecto non ſemper exquiſito excogitantur ſtudio, ſed nonnulla inueniuntur caſu, vt nobis non numquam accidit fato non iniucundo. Ita conſtat ab omni æuo, quod aliquando vel pueri aliique Vacunæ litantes, aut valetudinarii, curioſo guſtandi contrectandiue pruritu acti, mox huius mox illius arboris vel herbæ folia aut fructus decerpſerint non tantum, ſed & maſticauerint ac deglutiuerint; hi quidem ſucceſſu feliciori, alii autem euentu tragico. Sic ferme accidit olim ægyptiis, hi enim cum palmam quæ Adipſos vocatur, guſtaſſent ante quam perfecte maturuiſſet, ſitim reſtinguere ea ſe poſſe edocti ſunt, poſteaquam autem fructus eiusdem arboris ad abſolutam perueniſſent muturitatem, guſtati ſunt iterum ab ægyptiis, qui nihil periculi verentes, nedum cogitantes, facti experimenti pœnas ſatis graues dare, coacti ſunt. Illico enim, vt ſolenne eſt narcoticis, ſenſus intercepti ſunt manducantium, greſſus præpediti, retardata eſt lingua, adeo, vt obſeſſis mentis & corporis officiis, ebrietatis imitarentur vitium. Solinus cap. XXXV. Et planta illa lib. II. hiſt. reg. Iſraël. cap. IIII. bona primum videbatur ſiquidem olerum loco collecta & elixa eſt; ſed vim illi deleteriam ineſſe, exclamauerunt omnes, quotquot ab Eliſa in conuiuium ſunt adhibiti, exiſtimantes fatale hoc ſibi fore prandium, licet venenata non fuerit veluti Cel. Herm. Hardtius Senior huius academiæ & philoſophus longe doctiſſimus, ſentit. vid. eius Intybum ſylueſtre in Eliſæ, menſa mors in olla. Lev. Lemnius de herbis biblicis cap. VIII. Eadem igitur fortuna vſi ſunt veteres, quam noſtri non raro experiuntur, talia qui ſcire auent exempla, ablegandi erunt ad officinas chymicorum, quas laboratoria vocant, in quibus, dum lapidem quærunt, in vari-

as incidunt remediorum compositiones, quas antea nequaquam inuenire potuissent. Cinnabarim hac ratione inuentam esse tradit Agricola vid. Bœcleri not. in Herm. Cynosur. P. III. p. m. 85. Aduersus oculorum atrophiam medicinam egregiam casu detexit & aliud agendo inuenit Ioach. Georg. Elsnerus, quem vide in Ephem. medico-phys. Germ, Dec. I. an. I. Obs. XII. & Paschium de inuentis non-antiq. p. m. 493. vt plura taceamus. a)

§. XXVIIII.

Fortuito repertis *iungenda sunt*, *quæ somniantibus vel dormientibus reuelata sunt remedia*, ad artis incrementum non minus facientia, quam alia: res noua non est, nec in fabulis habenda, casum enim & ipsi nouimus sequentem: mulier hysterica, nephriticos patitur dolores, qui in dies vehementius recurrerunt & acerbius adflixerunt; hos medicus, frustra tentatis & simplicioribus & arcanis ne sedare ad tempus quidem potuit. At mulier post multos cruciatus, per somnium tandem monita erat, vt formulam a medico propinandam sibi exposceret illam, quam in formulis (in seinen recepten-buch) p. 42. notauerat. Dictum factum: quamuis formula ad nephritidem curandam satis fuerat inepta. Quantæ olim saluti hominibus cynorrhodon fuerit, contra rabidi canis morsus & hydrophobiam veterum testantur scripta, v. g. Plinius lib. XXV. cap. II. hæc docet: *In repertis alia inuenit casus, alia vt vere dixerim deus. Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, pauorem aquæ, potusque omnis afferens odium. Nuper cuiusdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt radicem siluestris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in fructecto, mitteret filio bibendam: in Lacetania res gerebatur, hispaniæ proxima parte: casuque accidit, vt milite a morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola orantis, vt pareret religioni: seruatusque est ex in insperato.* vid. id. lib. XXII.

---

a) Virtutem febrifugam carbonum fossilium casus fortuitus detexit, vid. An. N. C. Vratisl. Tomo XVI. p. 649.

XXII. cap. XVII. De Amphicleensibus simile quid obseruat Pausanias in phocic. cap. XXXIII. *adfirmant amphicleenses, & futura sibi deo auctore prædici & contra morbos in promptu esse remedia; quod & in somnis tam ipsi, quam finitimi de morborum medelis ab eo moneantur.* a) Quid Christophoro Rhumbaum contigerit, notatu dignissimum est; rem vero vt est, breuiter narrant Wratislauienses collect. tom. III. pag. 983. *Welchergestalt auch einst dem ehemaligen medico bey vns in Breslau D. Ch. Rhumbaum, als er über der cur eines affects bekümmert war, im traum ein buch vorkommen, in welchem er die methode vmständlich gelesen, auch nach solcher hernach den patienten glücklich restituiret: nach einigen iahren aber erst dieses buch in druck kommen, worinnen auf eben dem blat vnd der seite gedachte methode befindlich gewesen, solches beschreibet aus der mündlichen erzehlung des medici Dœringius tr. de medicina & medicis.* Qui vero isti monitores sint, qui dormientes talia doceant, nostrum non est inquirere; si audiamus Pythagoram, sunt heroes & dæmones, ita vero ille: nempe totus aër est plenus animarum, quæ dæmones & heroës existimantur. Atque ab his hominibus somnia & signa, morbi & sanitates immittuntur: neque solum hominibus, verum & brutis animantibus vid. Th. Stanley hist. philos. p. m. 764.

§. XXX.

Transeundnm iam esset ad oracula, quorum beneficio varia remediorum genera inuenta sunt, sed cum multum ambi-

a) Et ne quis otiosum putet ipsum Æsculapium, id, quod Solinus de eo refert cap. XIII., adponendum erit: Epidauro decus est Æsculapii sacellum, cui incubantes, ægritudinum remedia capessunt de monitis somniorum. Verum enim vero, quid de Æsculapio monente censendum sit, indicabitur in nota proxime sequenti. Neque tamen ideo negari potest, & christianis interdum per insomnia reuelata esse media, quibus afflictionibus suis mederi studuerunt; sine tamen ethnica & superstitiosa in templo quodam aut sacello exspectatione. Duo exempla notatu digna, de ægris, ope remediorum per insomnium sibi reuelatorum, curatis, afferunt Augustinus & Possidius citante Arnoldo Abbild. der. erst. Christ. lib. VII, cap. II. §. 6.

gant eruditi, horum paucis meminisse sufficiet. Antiquissimum fuisse morem, oracula ægrorum nomine consulendi quis ignorat? ita enim Plinius lib. XXVIIII. cap. I. *Nec non & hodie multifariam medicina ab oraculis petitur.* Et ipsa de Achasia iudæorum rege, historia, Plinio tot sæculis antiquior, huius consuetudinis testimonium præbet luculentissimum is enim ad beelzebubi idolum quosdam ablegauit sciscitandi causa, quis nam morbi, quo tunc vexaretur, exspectandus esset exitus. Sic Syriæ rex, homo gentilis, Hasaëlem præcipuum aulæ suæ administrum, pretiosis muneribus instructum, ad prophetam, tamquam oraculorum diuinorum interpretem misit, quo certior redderetur, vel de salute, quam tantopere optabat, vel vero de morte, quam instare animus præsagiebat. Sed neque exempla desunt, quæ probent, oracula, vtut consulta non fuerint, tamen aperuisse ægrotantibus remedia. Ita Herodotus in Euterpe p. m. 146. de Pherone Ægypti quondam rege, Sesostris filio scribit: *eum ob facinus commissum ex oculis laborasse, ac visum amisisse, decennioque cæcum fuisse. Vndecimo autem anno ex vrbe Buti. ei oraculum aduenisse, iam exactum esse tempus calamitatis, visumque ei rediturum, si oculos abluisset lotio mulieris, quæ ad suum solum virum accesisset, aliorum virorum expers, quod, cum fecisset, restitutus est.* Hæmoptyicum oraculi responso sanatum, Hier. docet Mercurialis de arte gymnastica, ipse enim e tabula marmorea, quæ Romæ in Æsculapii templo in insula tiberina inuenta est, hanc quæ sequitur inscriptionem l. c. communicat: nos latine apponemus: *Sanguinem reuomenti Iuliano desperato ab omni homine, oraculo respondit deus, veniret & ex ara caperet nucleos pini, & comederet vna cum melle per tres dies, & conualuit, & veniens publice gratias egit præsente populo.* vid. & Gruteri inscript. fol. 71. oracula ergo medicorum vices aliquando expleuisse, videmus, a) vnde negari nequit,

a) In primis cum constet, ipsos sacerdotes noctu templa ingressos & cum ægrotis locutos fuisse, & non Deus quidam. Rem erudite ex Aristophane expli-

nequit, eadem non nihil ad artis contulisse incrementa, at dolendum illud est, quod remedia ab oraculis suppeditata, maximam partem non solum nos lateant, sed ita etiam comparata sint, vt tuto applicari ægris neutiquam possint, vel si possent, effectum exsererent aut nullum, aut plurimum adferrent damni. Parum vg. conducet lotium fæminæ, oculis gutta serena aut cataracta affectis; nec cineres foci, pleuritico, licet inscriptio quædam, hoc contigisse indicet, quam latinam apponimus: *Lucio pleuritico & desperato ab omni homine oraculum reddidit deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vna cum vino commisceret & poneret supra latus, & conualuit, & publice gratias egit deo, & populus congratulatus est.* Tigrani quoque, oraculum de filio morbo pæne desperato, consulenti hoc dedit consilii: *desperant medici; tu non despera, si corpus lauos in calido, ne membra madefiant. Quo audito*, Tigranes *puerum corio inuolutum feruida quidem lauit, sed frustra: postea eum in arena ad solem exponi iussit, qui, vti isthæc ætas id permittit, puluere solaribus radiis calefacto corpus conspersit, & ita sanitatem, secundum mentem oraculi fallacis, recepit. vid.* Doct. Dan. Clasenii opus egregium de oraculis gentilium lib. I. cap. XVI. p. 130. Hæc aliaque plura oraculorum consilia lectu, quam imitatu esse faciliora, iam obseruatum est. Dubium interim exoriri posset, de hac oraculorum praxi audientibus, vtrum ista non ad genii infernalis im-

G 3 postu-

explicat cel. Schulzius, Histor. Med. Period. I. Sect. II. cap. 3. §. 33. Primo lustrari lauarique debebant ἱκέται recens aduentantes, deinde sacrificium exhibere, quod aræ imponebatur, tum in templo decumbere & somnum capere. Vbi iam quiescebant, sacerdotum aliquis, Aesculapii habito indutus, comitante filiarum caterua ægrotum visitabat, eaque vel administrabat, vel edisserebat, quæ necessaria videbantur. Cumque nefas aut periculosum putaretur si quis etiam vigilaret, somnum non simulare: de eo, quod vere viderat vel audierat quisque, non aliter apud alios perhibere licebat, quam de re per somnum visa & oblata. Ex his exgo & sequentibus patebit oracula duplicia fuisse vel stygia & amphibolica, vel humana & ad augendam gloriam, sub ficta numinis cuiusdam medici specie, comparata.

posturas & gloucomata a) magis, quam ad ueras morborum, cum euphoria, curationes, referenda sint, cum manifesto constet, Æsculapii sacerdotes in vrbe Memphitarum stygiis omnino vacauisse artibus, quarum se auctorem ipse cacodæmon non negauerat conf. Hieronymum in vita Hilarionis, & vit. patr. Parte I. p, m. 96. Sed hoc dubium nunc non attendimus, nec si vellemus ob loci importunitatem possumus. Sufficit quod omnis de oraculorum curationibus, historia negari nullo modo possit, propter tot scriptorum consensum, & factarum curationum certitudinem, quam publice contestati sunt ii, qui conualuerunt Vid. Io. Dan. Maior in epist. ad S. Sturmium *de oraculis medicinæ ergo quæsitis, & votiuis conualescentium tabellis*. Strabo præterea lib. VIII. p.m. 575. diserte pronunciat, in more hoc fuisse non vni vrbi, vt orculorum consilia & auxilia expeterent ægroti, sed pluribus. *Hæc quoque vrbs*, (αἔγγος) *inquit*, *obscura non est*, *maxime propter Æsculapium*, *qui ibi claret*, *crediturque omnis generis morbos depellere*, *semperque templum refertum est ægrotis*,

a) Truculentus ille homicida, & ab antiquo nequam, cacodæmon nempe, sæpissime contra ius & fas omne, ægris ceu medicum se obtrudere non dubitauit, quod verissimum est, id vero, de omnibus, oraculorum ope, factis sanationibus, affirmare velle, quibusdam displicere posset. Nos exemplum iniquissimæ therapiæ, a diabolo profectæ in præsens adferemus ex M. Paulo Veneto. qui orientem peragrauerat, e libro II. de regionib. or. cap. 41. p. m. 353. Non sunt in hac provincia (Arcladam) medici, sicut nec in Canidu & Caraiam: sed quum quis infirmatur, conuocant magos seu idolorum ministros, & illis exponit ægrotus morbum suum: tunc magi choream agunt, instrumenta quædam sonant, & in honorem deorum suorum magnos reboant cantus, donec tandem vnus ex eis in chorea saltantibus & ludentibus a dæmone corripiatur. Tunc chorea relicta, arreptitium in terra iacentem consulunt, ex qua causa id morbi illi acciderit, quidque pro ipsius liberatione sit agendum. At dæmon per arreptitium respondet: quia id vel illiud fecit &c. quæ loco citato legi possunt. Iubet enim dæmon sibi sacrificia offerri ex arietibus & potionibus aromatizatis, præcipit porro conuiuium & choreas instituere, & multitudinem magorum compotandi & saltandi gratia inuitare, vt æger sanus fieri possit.

tis, ac tabellis dedicatitiis, in quibus, quo quisque morbo liberatus fuerit, consignatum exstat, sicut & in Co, & Triccæ &c. hinc poëta:

Nunc dea nunc succurre mihi, nam posse mederi
picta docet templis multa tabella tuis.

& Pausanias in Corinth. cap. XXVII. p. m. 173. *Pilæ vero intra ambitum priscis temporibus multæ steterunt, e quibus sex ætate mea reliquæ, in iis virorum & fæminarum, quæ a deo curatæ sunt, nomina incisa, morborum etiam, quo quisque laborauerat: και οπως ιαθη & qua ratione curatus sit.* Plura accumulare piget: ast si verum esset, quod quidam de Hippocrate adfirmant, eum, omnem suam, qua eruditus claruit, scientiam, ex eiusmodi αναγραφαις hausisse, hæc, de oraculorum therapia, tractatio, primum in historia medica foret argumentum.

MEMBRVM IV.

DE FATALI CHIRVRGIAE A MEDICINA SEPARATIONE.

§. I.

Vidimus membris præcedentibus, quanti laboris fuerit hominum prouidere saluti, & quanto constiterit labore, medendi artem longe ab initio imperfectissimam, inuentis & encheiresibus variis perfectiorem reddere: quædam suppeditauerunt animalia, alia quædam excogitauit ratio, nonnulla docuerunt casus & oracula; omnia tandem in vsum publicum obseruata & collecta sunt ab iis, qui ægrorum commodo prospicere fuerunt soliciti.

§. II.

His obseruatis, opera, qua potuimus solerti, quæsiuimus, quisnam mortalium primus auctor exstiterit, qui antiquissimam partem, vulnerariam nempe, ab ea auellere annisus est. Verum enim vero, annales, res gestas antiquorum tradentes, hanc, quam loquimur, separationem adeo clare non

ostendunt, a) vt eius origo e recentioribus historiarum commentariis petenda sit. Nec mirum, quia vulnerariam a semetipsa separare debuissent, quod implicat, vt scholastici loquuntur, vel sibi contradicit. Nam quia præter chirurgiam, botanicam & diæteticam qualemcumque nihil cognitum fuerat antiquis, quomodo vulnerariam separassent, aut quid tandem demta chirurgia remansisset? herbas nominandi facultas? a victu abstinendi libertas? Quoties igitur apud antiquos medicorum fit mentio, vulnerarii & herbarum notitia tincti, intelligendi erunt. vid. huius memb. §. V.

§. III.

Obseruandum porro & illud est, quod sola vulneraria sufficere potuit omnibus, a mundi initio, ad sæcula vsque illa, quibus, auctis opibus, mollities, luxus, omnisque *ασωτια* tyran-

---

a) Quamuis se nobis quædam huius rei vestigia offerant, in Celsi præfatione, dicentis: *Iisdem (Herophili & Erasistrati) temporibus, in tres partes medicina diducta est: vt vna esset quæ victu: altera quæ medicamentis; tertia quæ manu, mederetur.* Vnde eruditorum quidam concludunt, tam nouam hanc separationem non esse, quam quidem videri posset. cf. Cel. And. Ottom. Goelicke *de mutilo medicinæ corpore resarciendo, per chirurgiam & pharmaciam postliminio reuocandas.* Nisi autem omnia nos fallunt, sensus illius pericopæ hic erit: medicinam nimirum in tres partes esse diuisam, vt clarius, distinctius adeoque scientifice potuisset proponi quemadmodum videmus docentem in academiis physiologiam esse alium, alium autem qui practica tradat ex Professo; vterque interim Medicus est, in omnibus medicinæ partibus exercitatissimus. Si vero quis eumdem Celsi locum, intelligere velit, non de partitione scientifica, sed separatione reali, quæ hodie obtinet, is tamen fateri cogetur, chirurgum tunc temporis nihilominus fuisse virum doctum, medicum more antiquo talem, quales profecto non sunt, de quibus sæpe loquimur. Intelligimus vero in hac dissertatione nostra, non illos chirurgos, qui studiis operam dederunt, qui anatomen probe exercuerunt, atque in aliis ad rem chirurgicam scitu necessariis versati sunt, quorum multos hodie in Gallia, Anglia Italia & Germania novimus, sed illos, qui hæc omnia non intelligunt, omniumque studiorum rudes ac inexpertes sunt, quales patria nostra non paucos alit.

tyrannidem exercere occepit, hoc enim facto, orbis mutata est facies, ipsique incolarum mores celeriter corrupti, corpora eneruata, & auro carior sanitas seu habitus corporis valens & robustus ad incitas pæne ob morborum multitudinem redactus, vnde nec vulneraria, læsionibus periphericis dicata, internis malis mederi potuit, quare ab hac ad therapiam seu modum, medendi per medicamina ore assumenda, progressi sunt, minime talem vulnerariæ, ab ipsa clinica δια της αναγκης inuenta, molientes auulsionem. Antequam vero hæc clinica in formam artis redacta, ipsique vulnerariæ addita esset, sola chirurgia medicinæ titulo condecorata est.

§. IV.

Quod autem sola suffecerit vulneraria, dubio prorsus caret, neque verbosa indiget probatione. Nam primis temporibus vitæ longæuitas, curationum quidem internarum, *minime vero chirurgiæ vsum sustulit*; simplex præterea victus, cupediarum expers, & vitæ genus laboriosum, sana mortalium conseruauit corpora, neque tamen hisce omnibus læsiones externas auertere valuerunt. Sæpius quippe vulnerauit impia hostis manus; ex improuiso luxarunt membra; non raro sauciauit bestia; lapsi tandem sunt, & suggillata surrexerunt facie: & quis numerum iniuerit modorum, quibus male affici lædique potuit hominum corpus? imo de quibusdam populis relatum est, eos morbis plane non laborasse, vel si quibus laborassent, abstinentia, (adde, balneo, vnguentis, vel herbis, medicina veteribus admodum solenni) curauisse. Talis ergo fuit veterum praxis clinica.

§. V.

Nullo itaque modo, vulnerariam a medicina vmquam fuisse separatam, potest effingi, imo vero, si qua ampliori medicinæ, seu interiora mala sanandi peritia tincti fuerunt vulnerarii, tantum absuit, vt clinicam auelli passi essent a vulneraria, vt omnes potius vires in affectus internos æque sanandos ob lucrum intenderint, ac clinicam hoc modo cum vul-

neraria connexam ſtudioſe conſeruauerint. Sed ponamus, alios præfuiſſe negotio clinico, alios vulnerario: quæritur qui nam huius ſeparationis auctores fuerint? quo tempore factum ſit? quis ſcriptor idem adfirmet? qua fide? quibus argumentis? porro quæritur, vtrum ſe non omnium expoſuiſſent riſui, quicumque fuiſſent, qui hoc induxiſſent ſchisma hos conſtituendo vulnerarios, alios clinicos, hoc eſt tales, quibus liceret, ægris vel abſtinentiam a cibo, vel balneum vel vnctionem imperare? his namque omnis abſoluebatur antiquorum therapia. Verum enim vero contrarium docet ipſius Hippocratis exemplum, is quoque vulnerarius fuit, therapiam inuenit, vulnerariæ addidit, at numquam chirurgiæ praxin vel repudiauit, vel ſolam clinicam exercuit, ſed vtramque, ſicut eius poſteri, ſtrenue coluit. Fuiſſe vero Hippocratem prima ætate medicum tantum vulnerarium & non clinicum, ſcripta eius de officina medici ſcilicet vulnerarii, de fracturis, de articulis, vlceribus, fiſtulis &c. ſatis teſtantur, & Celſus in præfatione libri VII. p. m. 432. idem profeſſus eſt, h. m. Hæc autem pars (nempe chirurgia) cum ſit vetuſtiſſima, magis tamen ab illo parente omnis medicinæ, Hippocrate, quam a prioribus exculta eſt. Poſtquam vero bonus vir animaduertiſſet, emplaſtris ſuis & vnguentis tolli neutiquam poſſe ſonticas viſcerum læſiones; ſepoſitis cultris, volſellis, ſpleniis, faſciarumque voluminibus, totum obſeruando ſe naturæ tradidit genio, & *εκ μικρων και ιδιωτικων εις μεγαλα και τεχνικα προηγαγε την ιητρικην* ex paruis & vulgaribus initiis, ad magnam artem medicinam prouehens, rerum chirurgico-ſemiotico-therapeuticarum vtiliſſimos conſcripſit poſteritatique reliquit libros. Opp. Sect. VIII. Ep. 2.

§. VI.

Ne vero frequens medici apud ſcriptores appellatio, ignotos in eam inducat opinionem, ac ſi, licet nobis refragantibus, nihilo minus, medicus diſtinctus fuiſſet a chirurgo,

go, pauca monenda erunt. 1. medicum perpetuo intelligendum esse vulnerarium seu chirurgum. 2. medicum dictum fuisse illum, qui mederi quocumque poterat modo siue ferro id fecerit, siue vnguento, siue etiam consilio. 3. notandum & hoc est, quod veteres de eiusmodi medico, quales hodie esse cogimur, ne quidem ideas habuerint; hoc namque æuo, medico, medicum agere nequaquam licet, ideo verius ægrorum consiliarius dicendus erit, quia medicinam parare & ferro vti, ob seuera principum quorumdam edicta, nullus audet, quæ tamen antiquis vulnerariis bono iure licuerunt omnia. 4. denique illustrationis causa quædam ex scriptoribus adferemus exempla, ita Hom. Iliad. rhapsod. δ. de Agamemnone vulneratum Menelaum alloquente:

ελκος δ' ιητηρ επιμασσεται, η δ' επιθησει
Φαρμαχ' α κεν παυσῃσι μελαιναων οδυναων

hoc est: vulnus autem contrectabit medicus (Machaon) & adhibebit medicamenta, quæ liberent a nigris doloribus. Quid hic negotii medico apud vulneratum? at medico vulnerario omnino opus est. Mittimus vel centuriam locorum, quæ ex Homero huc faciunt. Ita cum Darius quondam persarum rex, in ferarum venatu ab equo desiliisset pedemque vehementer luxasset, vt talus e iuncturis esset emotus, medicos accersiuit ægyptios, (atqui chirurgo opus fuit) qui primi putarentur in arte, at inepti isti medici (scil. vulnerarii seu chirurgi) retorquendo ac violenter tractando, plus mali faciebant, adeo quidem, vt septem dies totidemque noctes Darius, præ molestia, qua afficiebatur, transegerit insomnes. Quem breui Democedes, medicus græcus restituit &c. Herodotus in Thal. p. m. 242. Pulcherrimum quoque est Senecæ testimonium Ep. C. IV. fregit aliquis crus, aut extorsit articulum, num vehiculum nauemque conscendit? sed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locum reponatur. Et quid tandem de Hippocrate dicemus? is enim in illis, quibus chirurgiam docet libris NB. vel millies vocabulo vtitur

medici, cum tamen perpetuo vulnerarium intelligat. vid. Opp. eius Sect. VI. Idem etiam fecit Celſus innumeris in locis. Ex his ergo patet 1. quinam medici appellati ſint. 2. quod talis mutilatio orbi tam antiquiſſimo, quam antiquo ignota fuerit. 3. quod neceſſario nouellum inuentum ſit, quod clinica aliis, aliis chirurgia demandari ſoleat.

§. VII.

Manſit ergo chirurgia cum medicina, cuius illa pars eſt, arctius quam hodie coniuncta, ab eo, quo Hippocrates floruit, tempore, a) ad ſæculum vſque poſt C.N. XV. Sed aliam alii ſequuntur ſententiam. Sunt enim, qui hanc mutilationem, trecentis ante C.N. annis, Romæ per medicorum ſeruos factam, aſſerant; qui tamen obſeruare deberent tritum illud: quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putatur. Accidit omnino, vt, cum apud romanos, omnium rerum affluentia & fortunæ ſecundæ abuſus tam ciuium, quam imperantium corrupiſſet mores, etiam medicorum imminueretur induſtria, eorumque creſcentibus diuitiis, fida ac officioſa decreſceret diligentia, adeo, vt, quod antea alacriter peragere ipſi conſueuerunt, illud, ſegnitie correpti, aptiſſimo iam famulorum demandare uon dubitarent. Res ſane eo proceſſit felicius, quo auidius ſerui

a) Ως εν παροδω hic monendum eſt, eſſe quosdam, qui, vt chirurgiam tempore Hippocratis a reliqua medicina nondum auulſam demonſtrent, argumententur a vocabulo ignoto aut non vſitato, ad rem ipſam; non entis enim nullum eſt nomen, nec prædicata, nec accidentia. Quare ita concludunt: chirurgiæ vox in ſcriptis hippocraticis nullibi diſerte legitur, ergo ipſa chirurgia, eo quo hodie viget habitu, tamquam a clinica ſeparata, etiam fuit ignota. Res per ſe veriſſima eſt. Sed argumento tam infirmo, non probanda. Ita vero argumentantur ii, qui a Fœſii œconomia. Hippocratis ſe decipi paſſi ſunt; is quippe fol. 406. vocabula χειρισμος, χειρισμα & χειριξις adpoſuit, ſed vocem χειρεργια omiſit. At ne alii quoque, aliorum auctoritate freti, aliquid roboris huic argumento atribuant, locum dabimus in contrarium, parum ſoliciti, ſit ille liber Hippocratis nec ne, ſectione V. libro I. de morbis p. 448. linea 35. κατα δε χειρεργιαν ταδε. Sic in libro de medico fol. 22. verbum χειρεργειν lin. 7. occurrit coll. p. 741. ταδ᾽ ες χειρεργιην κατ᾽ ιητρειον &c.

ferui pretiofiffimæ libertati inhiantes, varia fcientiæ & eruditionis fpecimina dare conati funt, nam quo quisque feruorum inuentus fuit aptior doctiorque, eo celerius manu miffus, ac libertus factus eft, fecundum illud:

Aurea libertas docuit chirurgica feruos.
Condere qui potuit pharmaca, liber erat.

Vnde factum, vt non tantum philofophorum, aduocatorum ac fenatorum, fed & medicorum ferui, partium fuarum fierent ftudiofiffimi; hinc artem fecandi, vrendi: vulnus obligandi & pharmaca parandi didicerunt ftrenue; atque his rebus fiebat, vt ipfimet apti & periti, heris autem vehementer accepti redderentur. vid. Gottliebs Apothecker Schule & in compendio Coll. Wratislau. Tom. VI. p. 1889. Ex his tamen minime fequitur, vulnerariam apud romanos, tempore iam Erafiftrati atque Herophili a clinica, ficut noftro æuo, fuiffe auulfam, quam opinionem, poft plures, amplexus eft C. E. Kleinfeld Regiomonti in differt. *de neo-medicorum infelicis praxeos caufis*, aliique. Cum quibus fimpliciter facere non posfumus, fequeretur alias, quod omne negotium, ab hero feruis commiffum, non amplius ad eumdem herum pertineret, hanc folam ob caufam, quod feruis, valetudine, vel alias impeditus, aliquando id agere imperauit: nec diffitendum eft, medicorum delicatioribus, a) vulnerum faniem & olidum cruorem auerfantibus, hanc feruorum operam valde gratam fuiffe, vt, quidquid effet encheirefium, ferme relinqueretur feruis. Sed re ad veritatis amuffim exacta

a) Exemplo effe poterit ipfe Galenus, de quo idem obferuat Rod. a Caftro tr. de officiis med. pol. lib. II. cap. 3. p. m. 66. Sed enim Galenus eosdem Hippocratis libros chirurgicos diligenter interpretatus eft, & eam artem propriis exercuiffe manibus conftat, nam fibi vigefimum annum agenti, gladiatorum curam Romæ, feliciter demandatam effe fcribit, tametfi poftea anno ætatis fuæ trigefimo fecundo ab opere manuali deftitit, vt ipfemet prodidit, munus hoc chirurgis committendo. Ex quibus contendunt plerique noftri æui, indecorum effe, medicum phyficum, chirurgiam exercere &c.

acta per ſeruos ablata chirurgia dici nequit, multo minus vt praxis, a clinica diſtincta, conſideranda, quod enim ſerui aut liberti fecerunt, id factum ab illis eſt, tamquam ab amanuenſibus, medicorum vices explentibus: neque per ſeruos a clinica ita auelli potuit, vt hodie auulſa eſt, quoniam ſerui, licet deligationis, ſectionis, vſtionis ac luxatorum repoſitionis artificium edocti, nequaquam libere medicinam facere, aut ægros curare auſi ſunt, niſi medicis ſcientibus atque iubentibus, quod tamen vulgares & indocti hodie tonſores non tantum faciunt, ſed iure ſe facere debere contendunt.

§. VIII.

Si vero aliquis ex qualibuscumque narrationibus, umbram eiuscemodi mutilationis vix præ ſe ferentibus, contrarium pertinaci conatu adfirmare vellet, cum illo prorſus non litigabimus: quod enim quidam ad romanorum prouocent tonſores, noſtræ ſententiae nihil officit, tonſor quippe Romæ, fuit tonſor, minime vero chirurgiater, clinico contrarius; vt non ſequatur: Romæ degebant tonſores, ergo vulneraria a clinica iam tum fuit abſciſſa. Non aliter, ac ſi nos argumentari vellemus: Mauritani, quorum Strabo lib. XVII. p. m. 1584. meminit, *crines & barbas, quia cincinnis ornauerunt, quia dentes terſerunt, vngues reſecuerunt, fuerunt vtique chirurgi, & chirurgia antiquiſſimis temporibus a praxi clinica fuit ſeparata.* Vel Amazones fæminæ filiabus ſuis recens natis, ferro candente dextram mammam exuſſerunt, teſte Hippocrate *de aëre locis & aquis fol.* 291, quod ipſum chirurgicis operationibus adnumerandum, ergo omnes fuerunt chirurgiæ ſtudioſæ; Ergo iam tum chirurgia cum medicina non amplius cohæſerat. Sic argumentari poſſemus de Indiæ populis, famoſum moxæ cauterium perpetuo applicantibus, de quo Valentini in hiſt. ſimpl. ref. p. 155. ſeqq. at aliis ſtomachum mouere, vel cachinnos excitare, non eſt animus.

§. VIIII.

Verum enim vero, aliqui, vt hanc ſeparationem adfirment

ment ac defendant, obiectionem proferunt, ex iureiurando, Hippocratis, *ου τεμεω δε ουδε μην λιθιωντας. εκχωρησω δε εργατησιν ανδρασι πρηξιως τησδε.* h. e. *nequaquam secabo calculo affectos, sed cedam viris operatoribus praxeos istius.* Argumentantur autem si Hippocratis tempore alii fuerunt operatores seu omnis generis sectionum ac encheiresium periti, & quidem a medicis clinicis, quales Hippocratis discipuli fuerunt, distincti; si denique ipse Hippocrates suasit, vt clinici abstinerent, ac aliis, quorum *εργον* solum fuerat, relinquerent, sequitur: alios fuisse practicos clinicos, alios vero manuum opera medentes; & per consequens vulnerariam pridem a clinica auulsam. Sed dubio non carere illud, quod obiicitur, apparebit, si inquisiuerimus I. in iurisiurandi auctorem. II. in eius sensum. Auctorem non esse Hippocratem affirmant & critici nonnulli, & medici, quos inter eminent Iac. Segarra *Comm. in lib.* 2. *Gal. de nat. facult. cap.* 3. Io. Bapt. Siluaticus *Controv. med.* 82. Garsias Carrero *Comm. in Gal. de loc. adf. disp.* 76. *&* Hier. Mercurialis, in curioso opusculo, censura Hippocratis, dicto, vbi primo argumentum historice tractat, & simul inquirit in causas & occasiones, quibus factum, vt tot suppostitiis scriptis eruditus orbis scateat: deinde distribuit omnia Hippocratis scripta curate nimis, in classes quatuor, vt, quid de singulis sentiendum sit, perspectu esset quam facillimum. Verum, omnia, quae huc faciant exscribere, nostrum vetat institutum. Constituit autem primam classem eorum, quae ab ipso Hippocrate & scripta & edita sunt, quorum quinque nominat. Secundam classem fecit eorum, quae ipse omnino conscripsit, Thessalus autem eius filius edidit horum indicauit duodecim. Tertia classis continet libros, quindecim, quos Hippocrates numquam edidit, nedum scripsit. Quarta tandem talia suppeditat, quae ab Hippocratis eruditione aliena, adeoque prorsus spuria, sub ipsius tamen nomine publicata sunt, numero sedecim, in quibus primo loco hoc iusiurandum posuit, postquam in antecedentibus de eius disputasset auctoritate. Quod & nobis videtur

detur verosimile, quia nec a Galeno, nec alio quopiam veterum scriptorum, hoc nomine citetur, aut eius fiat mentio, vt rationes a Mercuriali adductas sileamus. Sed dicendum aliquid restat de eius sensu, posito etiam, quod Hippocrates eius exstitisset auctor, quod Magnus ille Io. Henr. Meibomius quondam affirmauit, in eruditissimo commentario, quem in *Hippocratis magni iusiurandum* Lugduni Batav. 1643. in 4to edidit. Quæritur ergo qui nam per *ανδρας εργατας πρηξιως τησδε* intelligendi sint? qui tonsores vel agyrtas ceu distinctos a medicis priscis intelligere vellet, is allucinaretur vtique; docuimus enim in præcedentibus ad rauim vsque, omnem medicum vsque ad Hippocratis æuum, fuisse tantum vulnerarium, & omnes post Hippocratem medicos cum vulnerariæ tum clinicæ studuisse perpetuo, ex quibus sponte consequitur, alium non esse intelligendum, quam practicum ex vtroque celebrem, seu chirurgiatrum, in eiusmodi operationibus quam versatissimum. Agnouit nimirum auctor iurisiurandi circumspectus & æquitatis laude dignissimus, quod ad lithotomiam aptissimi quique adhiberi debeant, nisi tragicus sæpe exspectari velit euentus, cum ardua hæc operatio ne veteranis quidem & praxi celebribus viris ad votum semper cedat, nouaturientibus practicis ægerrime proinde committenda. Et quoniam veluti probabile est, calculi exsectio post Hippocratis tempora, sine dubio frequentius administrata fuit, facile colligitur, quod non pauci, ab ineptis tractati inter operandum exspirauerint vel fistulosi dimissi sint; cui malo vt obuiam iret auctor, hoc iusiurandum, ad temperandumin iunioribus secandi pruritum, sub Hippocratis nomine vel tantum diuulgauit, vel suis ipse proposuit auditoribus. Quid ergo ex hisce, pro stabilienda separatione supposita, inuenietur præsidii aut sequitur ne, Polybus vel Dioxippus iunioribus dedit consilium vt in secando calculo præcipiti non agant audacia, sed versationibus id negotii relinquant, ergo chirurgia a clinica fuit auulsa; ergo ne nunc quidem cum eadem coniungenda?

§. X.

§. X.

Sed properandum est ad ipsam, quæ reuera tandem secuta est, separationis historiam. Sicuti nimirum fiebat, postquam circa sæculi XII. medium, in vrbe Amalfi iuris pandectæ, Rauennæ vero codex Iustiniani inueniretur, vt studium iuris ciuilis reflorescere inciperet in Italia (opera inprimis Irnerii artium professoris Bononiæ) ita eodem fere accidit tempore, vt monachi ordinis S. Benedicti quos pridem antea Constantinus, alias africanus dictus, latine, græce & arabice doctissimus instituerat, e montis Casini cœnobio, in vicinam vrbem Salerno concederent, atque ibi restaurandæ medicinæ pro virili nauarent operam. Hæc dum in Italia passim agi, animaduertissent Parisienses, etiam ipsi musas forenses sub sæculi duodecimi finem & decimi tertii initium excitare, ac paulo tardius medicinam quoque excolere contenderunt auidius, adeo vt successu temporis, totius pæne Europæ, ob studiorum varietatem & discentium frequentiam, celeberrima haberetur Parisiensium schola.

§. XI.

Interim varia, & iuris & medicinæ cultores experti sunt fata. Nam admisso semel iure canonico, ius ciuile, vt superuacaneum & Galliarum regi periculosum, e schola penitus fuit eliminatum; seuere etiam in conciliis a summo pontifice interdictum ne quis ius ciuile audire vel docere audeat, nisi spe promotionis omni sublata, excludi & per loci episcopum excommunicationis vinculo innodari velit. vid. *R. E. Meyeri hist. eruditionis quadrip. in epit. p.* 29. Quia tamen post hæc prudentiores palam opponerent, papam eam minime habere potestatem, vt regi Franciæ vsu legum romanarum interdicere valeat, in laicorum tandem i. e. status politici gratiam, in aliis Galliæ, scholis iura doceri cœperunt libere.

§. XII.

Sed non minori medicinæ quam legum cupiditate fla-

grauerunt initio clerici, verum opinione citius feruor ille fciendi defiit, ftatutis namque pœnis rigidioribus, nemini amplius monachorum, medicinæ peritiam adfectare, fuit animus. Quod vero ad rationes attinet, ob quas medicis lectionibus interdictum eft, illæ paucis probantur, dixerunt v. g. fcholam fuam totam effe theologicam, theologiæ culturæ dicatam, ideoque aliis difciplinis minime profanandam. Deinde quia antiquitas olim chriftiana, pia mente ab omni immunditie, & fanguinis humani truculenta effufione abhorruit, etiam eadem fchola medicos tolerare detrectauit, quod & illi in quibusdam operationibus, quæ chirurgicæ audiunt, fanguinem, fcopo licet maxime falutari, interdum effundere foleant.

§. XIII.

Tanti initio pofiti funt bonis mentibus obices, tantaque obiecta impedimenta, cum quibus colluctandum fuit omnibus, quorum animi medicinam difcendi tenebantur ardore. Cum autem medici, licet inuiti, monafticis paruiffent legibus, recepti tandem & ipfi, atque in academicorum habiti funt numero. Inter alias vero quas illis pofuerunt conditiones, hæ quoque fuerunt: primo vt ad exemplum doctorum decreti, h. e. profefforum iuris, ficuti monachorum focietas, cælibes in cœnobio degerent. Secundo vt a praxeos chirurgicæ exercitio penitus, & ex papali interdicto abftinerent perpetuo. Et hoc facto, chirurgiæ a medicina contigit feparatio. Nam doctores monachi, chirurgia laicis femel relicta, folam remediorum præfcriptionem & affectuum internorum curationem fibi vindicauerunt vnice. Et tali modo chirurgia in exilium acta eft: hinc ergo illæ lacrimæ!

Vrbibus hinc hulcus venit immedicabile cunctis.

§. XIV.

Chirurgi ceterum laici, fiquidem fuam artem fanctæ ecclefiæ, exofam effe fenferunt, vt crudelitatis famam porro a fe amo-

lire-

irentur, nec propter certas operationes, vrendo secandoque perficiendas, sanguinarii audirent, vtque in academicorum recipi aliquando possent numerum, probos & misericordes se publice ostendere adlaborarunt, quod hac ratione factum: constituerunt nimirum peculiarem societatem, confraternitatis titulo insignitam, in S. S. Cosmæ & Damiani honorem. Deinde certas sibi condiderunt leges, cuiuis confratrum sancte obseruandas, quas inter & hæc obtinuit, qua singuli confratres tenebantur, vi latæ legis, omnes illos ægros aut vulneratos, sine mercede curare, qui, post celebratam missæ cerimoniam, primo quouis die lunæ, cuiusuis mensis, se illis oblaturi essent. Atque his aliquamdiu pro virili obseruatis, magnam sibi acquisiuerunt laudem, circa annum MCCCCXXXVI. Plura suppeditabit I. P. a Ludewig qui singularem librum, de variis, Iustiniani, Hippocratis & Aristotelis in academia parisiensi, fatis, edendum ante plures annos promiserat.

§. XV.

Aliter sentiunt hac de re eruditorum aliqui, quos inter reticendus non est Stahlius: *ita vero ille de medica chirurgia in genere pag. 19. Proximum est, vt illud solum planius reddatur, vnde ortum suum traxerit, inconsiderata illa atque temeraria confusio, qua proletarii chirurgi, hanc etiam medicinæ partem, ad operationes ipsis certius conuenientes, etiam audacius trahere, & sibi quasi vindicare animum induxerint. Neque vero vlla opus hic est peculiari sagacitate aut solertia, ad peruidendum, quod duplex conspicuum sit huius rei fundamentum 1. Empiria generalior, seu confidentia experientiæ, citra vllam rationem, seu exactius iudicium. 2. Conniuentia, passim certe in socordiam vsque prolapsa, medicorum.* Verum enim vero, aliam esse separationis originem, in præcedentibus indicatum est; nos plura non addimus, quoniam in peculiari opusculo, hoc argumentum fusius tractare decreuimus.

SECTIO II.

PRACTICA.

DE CHIRVRGIÆ CVM MEDICINA CONIVNGENDÆ NECESSITATE.

MEMBRVM I.

DE QVIBVSDAM AFFECTIBVS, QVOS TONSORES IMPERITI MALE TRACTARE SOLENT.

§. I.

ITa coniungendam eſſe chirurgiam cum medicina, vt vel medici ſint officioſi chirurgi, vel tonſores fiant periti chirurgiatri, vna affectuum decuria demonſtrare nobis conſtitutum erat, ſed mutato conſilio, ne Iliada poſt Homerum ſcribere videremur, aliquot ſaltem recenſebimus affectus, non equidem raros, ſed quotidie obuios, in quorum curatione tonſores tantum fluctuant, tantumque nocent, vt in ægros, ex illorum opera plus mali redundet, quam ſalutis.

§. II.

Agmen inter hos ducat inflammationis negotium; hoc licet vulgare admodum ſit, tamen apta minus eidem ab imperitis adferri ſolet medela. Cauſa princeps cur tam male rem peragant, eſt ſumma totius negotii ignorantia, & profluens ex hac, inepta tractatio & curatio. Inflammatio enim vulgo habetur res mala & noxia, ideoque repellenda, fuganda ac ſine delectu quantocyus abolenda. Quamobrem magna induſtria, arcana ſua emplaſtra applicant, tenaciſſime adhærentia, gummoſa, reſinoſa, & quæ in annoſa ſua praxi eximiæ admodum vtilitatis deprehenderunt, ſed proh dolor! incaſſum. Alii vero ſi ſubolfaciant, euentum votis minime reſponſurum, aliis artificiorum formulis ſuccurrere tentant, locum quippe ſtaſi & inflammatione affectum, humidis vel ſiccis tegunt cataplaſmatibus, nullo habito reſpectu inflammationis aut indolis eiusdem, vtrum v. c. in ſuperficie tan-

tum

tum hæreat, an vero profundior ſit; vtrum primus tandem adflictionis dies fuerit, an vero aliquot iam durauerit diebus. His neglectis & poſthabitis non poteſt non artifex allucinari & cæcutire, quum ignoret, an ſpe ſalutaris diſcuſſionis ſublata, nil iam niſi ſuppurationis actus placide promouendus ſit nec ne? Hæc, aliaque plura non curant, quia ſecuri ignorant; quanta vero inde damna, quantæ ægris moleſtiæ creentur, omnium regionum teſtantur incolæ illi, quibus aliquando ſub ineptorum manibus & imperio ſudare contigit.

§. III.

Quod vero tonſores nempe indocti, de quibus ſemper ſermo eſt, inflammationem ceu rem peſſimam æſtiment, ipſorum teſtantur ſermones; indignabundi non minus quam meticuloſi ſæpe aiunt: es iſt gar zur inflammation gekommen, vera adeſt inflammatio. Propterea applicant emplaſtrum, ſcil. das die inflammation ausziehe, cuius etiam effectus præſentiſſimus & efficaciſſimus eſt: ſequitur nempe longe maior affluxus & partis inflammatio vehementior, cum ſymptomatibus, opinione multo grauioribus. Atque tales eſſe ſolent ignorantiæ fructus. Tonſores, quia intentionem naturæ, per inflammationem operantis, ignorant, illam metuunt, atque inepte tractant, adeo vt eam minime, quemadmodum deceret, cum interne, tum externe iuuent, ſed, vbi diſcuſſioni locus adhuc eſſet, ibi ſuppurationem promoueant, & contra, vbi ſuppurationi ſtudendum, rigide vrgeant diſcuſſionem. Orationem noſtram egregie illuſtrabunt *Acta med. Berol. Vol. III. p.* 81. *hoc modo: ruſtico e prægreſſis doloribus colicis, in itinere, tempeſtate intenſe frigida, hominem adfligentibus, altero die rubor exortus eſt inflammatorius, in regione vmbilicali, quem barbætonſor inflammationem, neceſſariis ad ſuppurationem perducendam pronunciauit atque ſuo emplaſtro eo rem perduxit vt inflammatio caput erigeret, quo facto, & inciſionem commiſit, ac inteſtinum colon incredibili temeritate diſſecuit &c.* a) Infelicioris ergo

a) Caſum ferme parallelum communicarunt Vratislavienſes tom.

go ignorantiæ cum adſint teſtimonia, in obſeruatt. ſcriptoribus paſſim obuia, pluribus non opus erit verbis. Sed alia adhuc illorum videas peccata, quæ committunt, poſtquam inflammatio in ſuppurationem abierit; vbi ſuis maxime emplaſtris peccant, quia nimirum vires variorum gummi non norunt, emplaſtrorum etiam ſuorum compoſitiones, ex acribus adſtringentibus & calidis gummi ac reſinis factas, non adeo feliciter applicant: quo enim emplaſtra acrioris ſunt indolis, eo magis affectam partem irritant, humorumque prouocant affluxum; & quo calidioris deprehenduntur qualitatis, eo fortius exacerbant; quo vero tenacius adhærent, eo certius obſtruunt poros, & tranſpirationem tantopere neceſſariam penitus ſufflaminant. In arcanis ſuis adhuc alia habent, emplaſtra, ſcilicet emollientia, quibus profecto tantum nocent, quantum poſſunt prioribus: baſis quippe horum, varii generis pinguedines ſeu axungiæ, (vt officinis placet) eſſe ſolent, vna cum oleis certatim emollientibus, quibus partes mirum in modum emolliunt iuſtoque flaccidiores reddunt, quo facto, in partes illas eneruatas, flaccidas & molles magna illico humorum copia irruit, curationis vero, imo & diſcuſſionis labor augetur vehementius, quid? quod principium vitale, dum quantitatem humorum nimiam aduertit, a motibus ſalutaribus, vel diſcuſſoriis vel ſuppuratoriis non raro ceſſat, & totum negotium ceu inſuperabile, deſperabundum certiſſimæ relinquit corruptioni.

§. IV.

Temperatorum rationem itidem habent nullam, neque incommoda, quæ *e plethoræ* præſentia oriuntur, attendunt, vnde opportunas Vſnes aut negligunt, aut præpoſtere adminiſtrant. *Aluum porro non obſeruant*, neque vbi opus fuerit, eam ducunt; Quantum denique interſit, vt vrgente inflammatione

XV, p. 196. vbi quidam tonſor medici informatione contemta, herniam vmbilicalem & ipſum ileon, loco tumoris ſuppurati & maturati, ſumta ſibi auctoritate, incidit & abſcidit, atque ita ægrum morti tradidit.

ne iuſtum regimen obſeruetur, vt ſanguinis motus æqualiter dirigantur hos, prorſus fugit. Propterea iuſto ſæpius, in ſummum ægros præcipitant periculum, dum v. c. vel vehementes ſudores cient, vel importunas refrigerationes negligenter tolerant, totumque negotium adeo turbant, vt optatæ diſcuſſionis loco, vlceroſa ſequatur ſuppuratio.

§. V.

Hic igitur affectus, quem ſtrictim tantum expoſuimus, vel ſolus probat, *quam ſit neceſſaria tonſori, ſi vel maxime chirurgiater haberi velit, medicinæ peritia*, imo ipſa teſtatur experientia, plures, imperitorum opera, eſſe vita priuatos, quam liberatos inflammatione. Prouocamus ad vlcera, ex inflammationis mala & peruerſa tractatione, orta; ad vlcera, ex eryſipelate corrupto nata; ad funeſtas denique mortes & artuum amputationes, quæ ſphaceli perniciem ſequi aſſolent, & quæ ſunt alia.

§. VI.

Sed *pauca etiam de vlceribus*. Quam anceps vero ac operoſa vlcerum ſit curatio, in ſenibus, tam viris quam fæminis, inter peritos & cordatos practicos abunde conſtat, adeo, vt licet omnimoda diligentia adhibita, negotium tamen præter opinionem ita ſæpe cedere ſoleat, vt applicatis quibuscumque artificiis, nil tandem niſi ſcaturigo ſanioſo-ichoroſa appareat, ſpemque de conſolidatione læte conceptam euertat penitus. At quid non audent noſtri? profecto nec vlcera extimeſcunt, ſed curare recipiunt, euentu licet ambiguo, infelici & funeſto, qui verboſis minime reſpondet pollicitationibus: interim aliquid ab illis fit: Sed proh dolor! quo plus illi audent, eo peius euenit vlceri; methodo enim minus conueniente vtuntur, ſupremam quaſi legem obſeruantes, illam, vlcus eſſe mundandum (daſs ſie einen friſchen grund haben und zu wege bringen wollen,) quam ob rem applicant pæonium ſuum ſepticum ſine quo eſſe nolunt, mercurium ſcilicet vel lapidem corroſiuum præſtantiſſimum, e lixiuio arcano, (cuius ingredientia ſunt cin. clau. cin. fagi aa. pars I. calc. viu pars I. S.) aqu. f.

&

& arſenico crudo paratum, quo id efficiunt, vt nihil minus, quam vlcus purum (einen friſchen grund) adipiſcantur. Interrogati, cur a ſepſi fieret initium? promte reſpondent: ſine mora hic operandum eſſe, man dörffe bey ſolchen ſchäden ſich nicht lang aufhalten, ſondern zur ſache thun, weil es ſonſt mit der heilung gar ſchwer her gienge.] Sed videamus ſucceſſum. Antecedens curationis abſoluit ſepticum mercuriale, vel apud alios, vnguentum Wurtzianum alterutrum; conſequens eſt, vniuerſi vlceris exagitatio & inconditorum ſymptomatum prouocatio. Sequitur nempe inflammatio vehementior, tumore & maiori & magis moleſto ſtipata, medicamenti ſæuitiem prodens, ipſam vero, huius methodi continuationem, excipit porro immodica partium irritatio cum affluxu humorum nimio, ineuitabili ac noxio, quem preſſo ſtatim pede ſequi ſolet infauſta fibrarum tendinumque arroſio & corroſio, cuius triſtes effectus, nouæ vlcerationes ſunt, ſeu plura foraminoſa vlcuſcula (wann vm vnd vm löcher hinein fallen &c.) vbi tamen ſe peccaſſe tonſores nulli fatentur, ſed praxin annoſam iactando, omnem culpam in ſanguinem quouis halece ſalſiorem deuoluunt, ſcorbutum accuſant, acrimoniam clamant, atque ægrum tandem fortunis ex hauſtum, oſſibus carioſis præditum & pro patria quaſi ſtrenue vexatum iniquiſſime deſerunt.

§. VII.

Hæc ergo eſt methodus vulgarium tonſorum, vlceribus medendi, ſatis in felix, & ita in aliorum corio & corporibus hyſteron luditur proteron. Iuſtæ quippe & æquali mundificationi præcurrit ſepſis, & ſepticum mercuriale prudenter in vſum trahendum, certisque tantum vlcerum generibus dicatum, quibusuis antefertur ſecurioribus. Laxantium denique, nec non ſanguinem, ſerum & lympham corrigentium vices explet decoctum aliquod traumaticum, ex herbis & radicibus importune adſtringentibus &c. Quam vero infeliciter hæc medicatio cedat, & vulgus nouit, exſpectatus enim effectus tantum abeſt, vt obtineri queat, vt e diametro potius contrarium

ægros

ægros premat. Nam vis herbarum adſtringens, ſanguinis circulum liberrime promouendum, impeditum reddit, atque ſalutarem partium adglutinationem ac conſolidationem potenter ſufflaminat.

§. VIII.

Ex his, niſi omnia nos fallunt, modo tantum non palpabili, intelligi poteſt, quantos, tonſores ſibi relicti, & omnis medicinæ expertes, errores committant. Veræ enim theoriæ, (h. e. talis, cuius dogmata œconomiæ vitali ſeu phænomenis corporis tam ſani quam ægri, exacte & cum ratione reſpondeant) defectus, omnem illorum praxin, licet annoſam, incertam plane, infelicem, imo confuſiſſimam reddit, vnde in tot contraria ruunt, quotiescumque illis, læſionis cuiusdam concreditur curatio. Quam miſere interim ægri ſe habeant, qui corpus tonſorum manibus ſubiicere debent, in vulgus notum eſt. Suaderet igitur (ſi quis adhuc inter homines chriſtianos vigeat) amor, vt tonſorum loco ſemper & vbique medici ſeu chirurgiatri adhiberentur: quis enim in vniuerſo terrarum orbe, ſiue vulneratus, ſiue vlceribus afflictus, ſiue luxationes perpetiens, male tractari aut peruerſe curari cupit? profecto nullus. Tonſoribus præterea ſuæ manerent tonſtrinæ, eadem plane ratione, quemadmodum Londini & Pragæ in Bohemiæ regno, ibi permulti offenduntur barbætonſores, abſolute tales, qui nullis prorſus læſionibus mederi ſtudent, ſed tondendis barbis vnice ſuam operam nauant, haudque raro mercaturam aliaque mechanica exercent artificia.

§. IX.

In viam vero redeundo vnde ſumus digreſſi, *paucula addemus de vulneribus*, nam latiſſimum huius materiæ campum percurrere, inſtituti noſtri vetat ratio, alioquin agendum nobis fuiſſet de erroribus, quos committere tonſores ſoleant in tractatione vulnerum tam artuum corporis, quam capitis præcipue; verum, horum hominum inſcitiam triſtibus

exemplis & funeſtis caſibus explicare velle, ſuperuacaneum iudicamus. Quare hoc monemus ſaltem, cauſam primariam, cur tot vulnerum curationes tam male cedant, iterum eſſe phyſiologiæ pathologiæ & ſcientiæ anatomicæ ignorantiam, ſymptomatum enim, quæ vulneratis accidunt non norunt cauſas, vnde nec diiudicare poſſunt toleranda & ſalutaria, licet moleſta, a ſupprimendis & cohibendis; ideo Andabatarum quaſi more, cum doloribus ac vulnerum ſymptomatibus, ad mortem patientis vsque colluctantur, & principium vitale in extremam potius agunt confuſionem, quam vt ei opem adferant atque corpus conſeruent.

§. X.

Alteram deinde cauſam allegamus, *maximam inſcitiam materiæ tam medicæ, quam rei pharmaceuticæ*, hac enim quia laborant, nihil aliud exſpectari debet, quam remediorum, in vulneribus præcipue, ineptiſſima applicatio. Nam virtutes mineralium vegetabilium ac animalium hos homines fugiunt penitus, vnde tam improuide agunt, & ſuas formulas, omnibus & ſemper applicant: quoties autem male ſuccedit, fictionibus delictum excuſant, easque tamquam cauſas euentus adeo ſiniſtri, ægrorum fidei obtrudere laborant. In hoc, incautum & peruerſum accuſant regimen, in iſto ſanguinem ſcorbuti labe inquinatum, in illo medicinam a medico præſcriptam & minus efficacem, cum praxeos verboſa iactantia & ſeria aſſeueratione, quod talia ſibi numquam acciderint, quamuis & poſthac decies accidant, ſemper tamen affirmant, id ſibi accidiſſe numquam.

§. XI.

Confirmabimus tandem exemplo ſeu caſu, non quidem ex obſeruationum ſcriptoribus compilato, ſed e praxi noſtra mutuato, cuius & circumſtantias, ceu teſtes αυτοπται curate habemus perſpectas. Viro LIIII. an. temp. ſang.melancholici, ordinatas hæmorrhoides multis iam annis experto, diætæ benigniori adſueto, e fortiori ſimul & ſemel facta corporis & ſanguinis

nis a) commotione, enatæ ſunt hæmorrhoides cæcæ dolentes & poſt ſextiduum fiſtula manans & ad medium ſphincteris a-

a) Sauguinem commouit patiens acidularum pyrmontanarum vſu; corpus vero, repetitis motibus, in campos & colles exſpatiando abſolutis. Has áquas ſæpiſſime iam alias bibit, cum euphoria, vnde ne hac qnidem vice aliquid ſiniſtri metuit, imo verus ſcopus huius curationis non fuit, hæmorrhoidibus mederi, vtpote quæ ex ſententia, ordinate, ſufficienter & cum euphoria ſuccedebant, ſed ſolummodo mali hxpochondriaci reliquias, ſi quæ ſuperarent, funditus exſtirpare. Hoc quippe malum ante plures annos Subiectum noſtrum vehementer exercuit. Sed male ceſſit negotium: calida enim tempeſtas, ſanguis per aquas vitriolicas multum reſolutus, diæta lauta, motus corporis iuſto crebriot, tantum humorum maſſæ induxerunt orgaſmum, vt nihil certius ſequi potuerit, quam nimia ſanguinis verſus loca hæmorrhoidalia congeſtio & immoderatus humorum appulſus, ex erronea æſtimatione principii vitalis inſtitutus, cui anſam præbuit prægreſſum regimen per circumſtantias deſcriptum. Hinc ergo hæmorrhoides cæcæ legitime fluentibus ſuperinductæ ſunt, tanta celeritare, vt præceps ſuppuratio, omnem diſcuſſionis operam redderet irritam atque infirmam. Hinc ergo cautius mercari diſcant hæmorrhoidarii fluxum hæm. ordinate experientes; conſtant plura exempla, quæ de efficacia aquarum pyrmont. in ciendis hæmorrhoidibus cæcis ſatis ſuperque teſtari valent, quibus nominatim recenſendis inhærere non licet. Prudenter itaque monuit Medicus quidam in ſcripto peculiari de hæmorrhoidariorum prudenti therapia per acidulas & thermas §.VI. Tanto magis vero aquarum ſubterranearum vſus, ſiniſtros effectus cauſatur, quando ſub reliquo libero & legitimo hæmorrhoidnm ſtatu ſubiecta actiuioris indolis ſunt &c. aut quando quidam hæmorrhoidarii certis & ſtatis temporibus ordinariam ſuam ſanguineam purgationem experiuntur: in talibus itaque ſubiectis accidit, vt ex vſu talium aquarum, præcipue efficaciorum, motus hæmorrhoidales adeo incitentur & augeantur, quo fluxus hæmorrh. in actualem exceſſum degeneret &c. cf. & §. VII. Porro bene notanda ſunt illa, huiusdem auctoris verba. §. V. prolata: Nos hoc loco rotunde & candide profitemur, quod acidular. vſus in ſubiectis, quibus legitime & cum ſalubritate euacuationes hæmorrh. obtingunt, non conſultus, ſecurus & ſalutaris exiſtat: etenim ſi natura iam ſuo officio ſponte, libere, placide & continenter defungitur, neque neceſſe, neque vtile eſt, per artificialia ſubiecta illam reformare, adigere, incitare & alterare; qualem incongruam alterationem ipſa ægerrime perfert, cum hactenus ſola ſibi ſuffecerit &c.

ſcendens. Contigit hoc medio Auguſti. Aduocatus eſt tonſor, qui L, annorum felicem praxin crepans, (agebat enim ipſe LXXVII. annum) ægro & reliquis optatæ conſolidationis ſpem fecit certiſſimam. Statim vero ac fiſtulam vidit & circumcirca contrectauit, de callo conqueſtus eſt: interrogatus, vtrum tempore tam breuiſſimo callus naſci poſſit? hæſitando id affirmauit, quam ob rem & turundas ex emplaſtro contortas atque eſſentia ariſtoloch. rot. & balſ. Peruuiano illitas XVI. diebus applicuit, ſed fruſtra. Fiſtula interim latum pollicem longior ſeu profundior facta eſt, quam tamen ne ſemel quidem explorauerat, interſerens, ſe optime eius noſſe profunditatem. Ægro tandem vrgente, callo eximendo totum ſe tradidit, ac præcedentibus diebus decem, quotidie omnino bis turundas applicuit dilatatorias, quo peracto, ſuum tandem arcanum præſtantiſſimum efficaciſſimumque *ſcil. vitriolum cyprium* in lucem protraxit, quo, vt aiebat, omnes generis fiſtulas, etiam lacrimales feliciſſime percurauit. At proh dolor! tam horrendos, tamque acutos excitauit ægro dolores, vt eiulatibus plane acerbiſſimis eos prodere nullus dubitauerit, quid? quod per octiduum ne ſellæ quidem puluinari inſtructæ inſidere potuerit. His itaque ſat infeliciter geſtis, ſuas de novo accerſiuit turundas, tam dilatatorias quam reliquas, quas cum viciſſim per octiduum applicuiſſet, ſponte, tamquam inutiles & conſolidationi obicem ponentes easdem abiecit, & cicatricans in forma albi liquoris ægro obtulit, atque fiſtulæ, a turundis liberatæ, labia, coalitionem mentientia, beneficio linteoli duplicati inungi iuſſit, omniaque fauſta apprecans ægrum deſeruit. Verum enim vero, fiſtula poſt triduum pus bene coctum ſtillare de nouo cœpit ſpuriamque prodidit conſolidationem. Quid vero æger? is cum vidiſſet omnium & ſingularum encheireſium finem nihil eſſe aliud, quam fiſtulam in profundum ſe magis extendentem, manantem & dolentem, animum primo deſpondebat pene omnem, at breui poſt, cognitis ita variis & ieiu-

nis

nis tonſorum artificiis, ad ſectionem, a) ſuadentibus amicis properauit, quam non incelebris anatomiæ profeſſor ex ſententia adminiſtrauit, fiſtulamque calli expertem offendit. Vulnus autem XX. dierum ſpatio blande coaluit.

§. XII.

Iudicent iam eruditi, vtrum iniqui ſimus in noſtros tonſores, dum ignorantiæ eos arguamus, quid enim magis ignorant, quam vires mineralium, vegetabilium animaliumque? notitiam materiæ medicæ & pharmaceuticæ, ab ipſis in ænigmatibus haberi, quis diffitebitur? Negant illi quidem; adfirmat contra experientia, & ipſe quem hic communicauimus caſus. Vitriolum ſane aut ærugo callum non auferet, licet venerea ad id negotii, commendentur, a medicis tam recentioribus quam antiquis, quos inter eſt Dioſcorides lib. V. cap. 48. 52. Plinius lib. XXXIV. cap. 12. libro eod. cap. 11. circa finem. Hippocrates lib. de fiſtulis ſect. VI. p. m. 885. το ανθος χαλκȣ ad erodendos callos aperte commendat, & ad hunc quoque Hippocratis locum prouocat auctor diſſertationis, de noua tuta & compendioſa fiſtularum curatione, a. MDCXCVII. habitæ §. XXV. quod ipſum & celebris quondam Barbette inculcat, vt Parte II. lib. III. cap. 5. Parte III. lib. II. vbi poſt plura vegetabilia idem vitriolum cæruleum, viride æris, mercurium, ſp. vitrioli, aqu. f. alumen aliaque laudat, ac repetitis vicibus recenſet. Sed huius aliorumque commendatio nil efficit, quo minus de vitriolo pro noſtra ſcientia ac experientia ſentiamus. Contendit omnino auctor citatæ diſſertationis §. XXV. hoc ſui parentis remedium ſimplex, & pharmacopœis

 notis-

a) Diſquirunt inter ſe practici, vtrum fiſtula ani hæmorrhoidælis ſine ſanitatis periculo, ſectione exſtirpari debeat? circumſpecti quique, negant; affirmant alii. Nos in gratiam practicorum pauca ſaltem referemus: quod nimirum in hoc ſubiecto exſtirpationis negotium optime ceſſerit; quod fluxum hæm. ab illo etiam tempore, quotidie expertus ſit vir ille vſque ad hunc diem, cum perfecta euphoria & virium plenitudine, ceterum vid. Pelargi notas in colleg. Stahlii pract. p. 407.

notiſſimum, in abſumendo callo par non habere, cum ipſe parens præſtantiſſimum eius vſum plus triginta vicibus expertus ſit. Sed quidquid tandem dicatur, præſens caſus laudes vitrioli vehementer conuellit, vnde, vt contrarium ſtatuamus, inducimur facillime. Tantum abeſt, vt vitriolum callum fiſtularum erodat, vt potius eumdem in illis promoveat. Si enim, ſecundum §. XIV. cit. diſſ. acidum vlceris, fluidum illud ſeu liquidum, quod per meatus ſolidarum partium tranſit, in motu ſiſtere poteſt, ipſisque coagulum inducere, vitriolum profecto, multo certius, multoque potentius, fluidum illud, ſolidarum partium meatus tranſiens, in motu ſiſtere, ipſique coagulum & callum inducere poteſt, acido enim ſuo, omnia vlcerum acida ſine dubio ſuperat ac vincit. vid. Stahlii opuſc. chym. phyſ. med. p. m. 557. vbi vitrioli acidum, purum acidum Sulphuris eſſe monet, & p. 559. repetit: primæ & potentiſſimæ efficaciæ, eſt acidum vitriolico-ſulphuream, & F. Hoffmannus in clav. pharm. Schröd. cap. XXVI. p. m. 353. idem inculcat, dum vitriolum, ſulphuris prolem dicit, item coagulum ſulphureæ ſalſuginis acidæ æratæ aut ferratæ &c. quo cum etiam Ettmullerus facit in Schröd. dilucidato cap. XXVI. p. 69. Vnde quid in erodendo callo vitriolum valeat, iudicabunt, qui poterunt. Videamus interim ipſa vitrioli principia; ea ſunt primo: acidum ſulphureum, idque non mediocris potentiæ, ſed eminentioris, adeo, vt ad ſalia alia coërcenda, eorumdemque chymicam tractationem facilitandam adhibeatur frequentius. Secundum principium: eſt metallum, vel veneris, vel martis, cuius porro principia vt examinemus, neceſſe non eſt, metallum enim deperdita ſemel ſubſtantia ſulphurea, terra eſt, vel vitrea vel calcarea, de quo fuſius agendum nobis non eſt. cf. Stahlii menſ. Sept. Ex quibus iam conſequitur, quod vitriolum, primo vi cauſticæ efficaciæ omnino rodat, mordeat, humoresque affatim alliciat. Secundo ex ſententia diſſertationis cit. §. neceſſario adſtringit, nam ſi acido vlceris alicuius, fluidum in motu ſiſtendi

ſtendi & coagulam inducendi efficacia tribuitur, quis vitriolo, fiſtulæ recenti, omnisque calli experti, applicato, eamdem denegare auſit potentiam ?

§. XIII.

Vitriolum ergo humorum affluxum inuitat & hoc ipſo fiſtulæ conſolidationi obicem ponit, nam humores, quos ita allicit, tantum abeſt, vt ad conglutinationem læſionis faciant, vt potius ibidem detenti vlceraſcant & in verum callum conuertantur. Accidunt hæc omnia eo facilius, eoque citius, quo difficilius adhærentia fiſtulæ inquinamenta æquali mundificatione remoueri poſſint, & quo denique promtius ipſum agens principium ad erroneam talem concretionem, ſinceræ carnis loco ſubſtituendam, propendeat. Cordi ergo ſit cuique obſeruatio illa practica Prof. Iunckeri Conſpect. chir. med. & inſtr. p. m. 267. *Vitriolum veneris, quod non ſolum inſigni pollet efficacia cauſtica, ſed & adſtringendi vim habet atque ſenſum nimium efficit; quo nomine non ſatis tutum eſt &c.* Vlceri forſitan rebelli & refractario aptius, ni alia ſuppetant, applicari poſſet, fiſtulam vero recentiſſimam vitriolo exagitare, atro notandum cenſemus lapillo, approbantes ſententiam *A Paraei Opp. chir. lib. XIIII. cap. 27. p. m. 422. In remedioum delectu cautio magna chirurgo adhibenda eſt. Sæpe enim remedia natura ſua bona, vſu fiunt non bona, quia ſine iudicio vſurpata & applicata fuere, magno chirurgi errore & dedecore.*

§. XIV.

Sed dicas: vitriolum nihilo minus illud, quod de ipſo prædicatum eſt, ſæpius, quam trigeſies (ſecundum §. XXV. diſſ. cit.) præſtitit. Atqui nos negamus. Si præſtitit, quæritur quo modo? Vitriolum non poſſunt non perpetuo ſequi illi ipſi effectus, quos ipſummet tamquam cauſa producit: aut vitriolum illud fuit longe aliud, longe prudentius, ad enumeratos effectus aptius & literis prohibitoriis inſtructum, ne quidquam aliarum partium, præter callum ſenſu carentem erodat, nec vllum affluxum provocet, ac ſi callo eroſo ad fibras

ſenſu

ſenſu ſatis præditas penetrauerit, illico deſiſtat. Si hoc per rerum naturam fieri etiam potuiſſet, quare tali vitriolo iterum non vſus eſt tonſor? de mercede certus eſſe poterat, fuit enim æger ille regi a conſiliis, vir iuſtitiæ & liberalitatis laude clarus. Attendamus vero φλυαρίας. Plus triginta vicibus callos, ſpatio bidui eroſiſſe fertur, imo ipſe nobis tonſor adfirmauit quod totum callum, poſt applicatum arcanum, ad inſtar canaliculi membranacei quaſi formatum, leui opera & quocunque inſtrumento ſæpius e fiſtulis extraxerit. Iam ſi vitrioli vis in eo conſiſtit, vt callos corrodat & erodat, quomodo inſtar tubuli extrahi poſſunt? Dicat aliquis: non perrodit & corrodit callos, ſed a partibus fibroſis circumcirca ſeparat. Optime! ſed quo modo hoc peragit? nonne ſodes! cultello & lampade inſtructum ſit oportet? Fiſtulam ante dies octo exortam, quotidie bis repurgatam, ſicuti aliam inueteratam & duro callo diu obſeſſam tractare velle, quis non vituperet? Dicet aliquis, ſi vitriolum acido ſulphureo potenti gaudet, vt ipſi nos diſputauimus, ad callos erodendos adeo ineptum non erit, imo & in hoc ſubiecto ſuam forte exſeruiſſet virtutem, ſi modo calloſa fuiſſet fiſtula, omnis inde error conſiſtit in applicatione vitrioli intempeſtiua & præpoſtera, cum vitriolo interim ſua permaneat laus, ſuaque virtus. Ad hoc reſpondemus primo: eſſe ſane errorem longe maximum, & nullo modo excuſandum. Secundo: minime ſequi, vitriolum cauſtica vi pollet, ergo & callos ad votum exſtirpat; ergo affluxum non ciet; neque humoribus coagulum inducit, futuri calli ſincerum fundamentum & radicem (quod tamen acido vlceris attribuit diſſ. §. XIIII.) ergo alias partes extra callum non infeſtat. Sed quid? ſi poſuerimus, neque tamen conceſſerimus, vitriolum, (quod profecto valde prudens & oculatum fingi debet) hoc præſtare poſſe, nonne nihilo minus id, quod probandum inde ſuſcepimus probari abunde poteſt? quod ſcilicet tonſores illi vulgares ex ſumma ignorantia rerum pharmaceuticarum permultum noceant, atque ægrorum non ſolum ſanitatem, ſed ſuam

quo-

quoque famam deſtruant. Quod ſi exemplum deſideret aliquis, in hoc tonſore habebit luculentiſſimum.

§. XV.

Errores tandem practicos, quos tonſores ob ſcientiæ anatomicæ defectum committunt, non attingemus, hanc enim medicinæ partem maſcule negligunt, a) aut quod cadauerum ſectionibus ipſis tam raro intereſſe contingat, aut quod anatomiam plane ſuperfluam iudicent, interim cauſis principibus (ignorantiæ nimirum anatomiæ, ſanæ phyſiologiæ, & pathologiæ, nec non virtutum, quæ ſubiectis trium naturæ regnorum, in materiæ medicæ recenſione, tribui ſolent) ob quas infelices & inepti dicuntur, aliam adnumeramus, nullo modo prætermittendam; hæc vero eſt: ſummus & ex ſuperbia proficiſcens, & in quemuis inde medicum redundans contemtus, hi ſiquidem homines, niſi æger vrgeat, medicum aut raro, aut ægerrime conſulunt, interſerentes, ſe ſolos omnino ſufficere, læſionum curationibus, medici enim lucro vehementer inhiant, ſuisque nihil aliud agunt præſcriptionibus, quam vt chirurgis obicem ponant, læſionis reſtaurationem non ſine ægrorum tædio remorentur, tandem vero, contemta chirurgi opera, omnem ſibi gloriam cum maiori ſoſtro vindicent, & quæ ſunt aliæ conuiciorum formulæ. Experti loquimur, vtpote qui ſocia cum tonſoribus auxilia, ægris, partim vlceribus, partim vulneribus affectis, in noſodochio per quadriennium, ferre ſtuduimus. vid. C. T. A. S. medicus afflictus Budiſlæ 1718. ed. Nec pœnitet nos verbi; quod enim Hippocrates, ipſe ethnicus,

a) Qua conſcientia, viderint illi, nos omnino, Excell. Heiſteri effatum, noſtrum hic facimus, quod in Comp. an. ed. III. p. 5. legitur: Medicos vero & chirurgos ſalua conſcientia ea carere non poſſe, certum eſt, ſi artem, quam profitentur, non in detrimentum generis humani; ſed rite exercere cupiunt: nam quod nauis gubernatori pyxis nautica ſiue acus magnetica, id his eſt notitia anatomica &c. cf. Eiuſd. ſcriptum ſingulare *De Anatomes ſubtilioris vtilitate*; a cl. Io. Car. Hahnio a 1728. publice defenſum.

ad feliciter tollendos affectus ſumma æquitate commendauit, id tonſores proterue temnunt, negligunt, auerſantur. Ita vero ille libro prænot. p. m. 27. *neque ſane indecorum fuerit, ſi medicus in rei præſentis anguſtia circa ægrum verſatur imperitiæ etiam tenebris circumfuſus, alios quoque arceſſiri iubeat, quo communi conſilio quæ in rem ægri ſunt diſquirantur, & illi ad præſidiorum facultatem operas ſuas conferant. Vbi enim aſſidue vrget affectio, morbusque increſcit, plurima in animi anguſtia, ad rem præſentem opportuna elabuntur. Tunc igitur confidenti animo eſſe oportet, neque enim vmquam tale quid definio, cum id ad artem pertinere cenſeatur, de eo minime ambitioſe contendere, ſeipſos ludibrio ex ponere. Hoc namque iureiurando affirmare audeam, medicum ratione vtentem* (adde tonſorem ratione vtentem & Chriſti nomen profitentem) *alterum numquam inuidioſe calumniaturum. Sic enim animi inpotentiam prodet. Verum id promtius faciunt, qui forenſem quæſtum ſectantur.* Ita quidem ſenex. Noſtri interim iſthæc contemnunt ; in hoc negotio, illuſtri A. Paræo, Henrici III. Galliarum regis quondam chirurgiatro celeberrimo, admodum diſſimiles, qui in operibus ſuis ſæpiſſime fatetur, ſe huius vel illius medici v. g. Violanii, Dureti, Altini, Feurei, Cortini, Valerani aliorumque expetiuiſſe conſilium. Idem libro VIII. cap. 5. p. m. 256. *monet, vt chirurgus præcipue medicinæ ignarus, nihil ſuſcipiat, medico non conſulto.* Aperte ſic ſcribit : *Purgationes blandæ inſtituendæ ſunt, quod a fortioribus commoueantur & incandeſcunt humores, vnde fluxionis & inflammationis periculum, itaque nil hac in re inconſulto medico eſt tentandum.* & l. c. capite X. de conuulſionis curatione p. 259. *omnia inſtituenda ſuadet, ſecundum docti, qui præerit medici præſcriptionem.* Et libro IX. cap. 14. de fracti cranii Symptomatibus p. 282. *ægri vires explorandas iubet, idque vt a medico fiat contendit, penes quem* (ipſius verba ſunt) *huius rei iudicium omne eſſe debet.* En humanitatem tanti artificis! Quid vero noſtri ? dictatorio quaſi auſu formulas præſcribunt erroresque ſuos, bono animo, humo occultandos committunt.

MEM-

MEMBRVM II.

OSTENDIT QVOD CHIRVRGIA VTIQVE CVM MEDICINA CONIVNGI POSSIT.

§. I.

QVamuis compertum nobis ſit, nos hac noſtra opella multorum in nos concitaturos odium, tamen verum fateri nulli veremur, nam rem vrgemus vtilitatis maximæ, & quia non hominum beneuolentiæ, ſed dei miſericordiæ fidere decreuimus, vulgarium tonſorum aliorumque conuicia tamquam fulgura ex pelui vibrata, poſt habemus, veritas enim ſemper odium, peperit, quomodo apud rudem turbam gratiam parere nobis poſſet? Interim in aprico poſitum eſt, interque doctiores conſtat, huius generis meletemata, niſi improbis futura eſſe ingrata, nam boni quique, tam medici quam ciues ſalutarem hanc coniunctionem poſt liminio inſtituendam, diu in votis habuerunt habentque hodie. Propterea non prorſus ſuperuacaneum duximus, ſpecimine publico, de nouo quaſi ſtimulum addere, quo exoptata tandem & in publicam vergens vtilitatem, medicinæ, per ablatam chirurgiam, mutilatæ, promoueretur inſtauratio.

§. II.

Rem ceterum non proponimus paradoxam, neque ideis platonicis de bona re publica accenſendam, aut cogitatu longe faciliorem, quam effectu; modo vnus Imperium haberet in omnes, ſpiritus nempe miſericordiæ: negotium profecto paucorum annorum perfici poſſet interuallo, vt tonſorum loco, medici, more antiquo tales, (id eſt, qui curandis corporum læſionibus tam internis quam externis oppido pares eſſent) eligerentur & ſurrogarentur, quibus neceſſitate exigente, noſtram tuto concedere poſſemus & vitam & valetudinem, quod hoc rerum ſtatu, niſi anxia & ſcrupuloſa facimus trepidatione.

§. III.

Porro ιητρικην, ait Hippocrates, ου δυνατον εστι ταχυ μαθειν.

 de

de loc. in hom fol. m. 420. quod, de vniuersa praxi, si intelligatur, negandum non est, verum medicinæ theoreticæ cursum triennio absolui posse omnem, nec quemquam fugiet. Si itaque his alii adhuc adderentur anni quatuor vel plures, quibus theoriam prioribus annis haustam, in praxin deducere ac operationes, manibus instrumento armatis, administrandas addiscere medicinæ tirones possent, nonne aliam breui res medicorum publica indueret faciem? Atqui, aiunt, vno alteroue anno pauci se offerent casus, cum tamen in praxi talia accidant, de quibus, ne quidem in A. Paraei, Hildani, Sculteti, Camerarii, Mercurialis, Foresti vel recentissimorum obseruationibus quidquam legitur, ergo hæc nostra propositio in otiosis reputanda erit cogitationibus.

§. IIII.

Verum enim vero, neque nos ista latent, quid quod? de praxi priuata negari nequeat, sed dantur loca, vbi vnico anno tot administrantur trepanationes, paracenteses, artuum amputationes, hernio-litho- & Syringotomiæ, vt casus fortuitos taceamus, quot vni practico quamuis octogenario, se offerent neutiquam. a) Talia sunt publica nosodochia, vel regia vt vienense, parisiense, londinense, berolinense, vel rerum publicarum, vt amstelodamense, norimbergense, vratislauiense &c. medicinæ consecraneis omnino frequentanda. cf. præfationem metaphrastis opp. Hildani. Atqui, opponis, hoc sumtus priuatorum excedit : ergo principum magistratuumque opus erit largitionibus ; nihil inde detrimenti ærario publico imminebit, nec quidquam propterea proceres aduertent penuriæ. Si sane aliqua æris summa impenderetur hisce conatibus tam vtilissimis, tamque saluberrimis, multæ auerterentur cædes, & plures, quibus alioquin sub imperitorum tyrannide pereundum esset, vitæ restituerentur.

§. V.

a) Cf. quæ excellentissimus Germaniæ Anatomicus & Professor Regio-Ducalis L. Heisterus monet, in Chirurgia Part. I, p. 14.

§. V.

Atqui obiiciunt, e tonsoribus fierent mendici, quod, vti principum reditibus detrahit, ita & publicæ officit vtilitati, mendicantes enim molesti sunt & reliquorum quasi bona sugunt. Respondemus vero: primo ex Cicerone lib. III. offic. p. m. 524: *Vtilitatis specie, sæpissime peccatur in re publica.* Quid vero hoc est, reditus nominare, & multorum vitam & valetudinem tacere? secundo: id euenturum pernegamus, hac quippe ratione restituentur tonsores suis tonstrinis, ceu tonsores κατ' ἐξοχὴν tales, si vero inde non suppetat victus, laborandum erit manibus, capillis fictitiis aptandis aut conficiendis, eo plane modo, quo tonsores solent viennenses pragenses, supra sect. II. membr. I. §. 8. laudati. Fidendum insuper illi, qui otiosos coruorum pullos, numquam inedia confici passus est. Sed quis δυσπίστοις hoc persuasum iuerit? Profecto eodem plane modo quæritabat olim scribarum ac librariorum vulgus, cum typographiæ ars inueniretur, neque tamen eam ob rem fame consumti sunt illi, quorum multo fuerunt plures, quam tonsorum hodie.

§. VI.

Ceterum non deerunt ex medicis quoque, qui secum cogitent cum poëta:

migret in obscuras humili sermone tabernas

& nobis irascantur, *quod tam abiecta* (vt quibusdam videntur) *consilia suppeditemus, quibus medicorum splendor, cultus & auctoritas euertatur omnis.* Nonne hoc ipsum medicis cederet dedecori? nonne commodius, & vt Horatius lib. I. epist. 17. loquitur.

Splendidius multo est equus vt me portet, alat rex?

Verum enim vero, & isthæc ponderauimus, sed quia pauci e tonsoribus chirurgiæ vt decet, operam nauare volunt, hoc quidquid est consilii arripiendum esse, duximus. Etiam Hippocrates libro de flatibus p. m. 295. illas, quæ praxin comitantur, molestias agnouit, non tamen, vtut ethnicus, fugiendas iubet, ita vero ille: *Artes quædam sua quidem cognitione quibusdam mul-*

tum laboris exhibent, vſu vero nonnullis vtiles exiſtunt, & vulgo quidem commune bonum conferunt, his autem, qui eas tractant plenæ ſunt moleſtiæ. Ex quarum artium numero eſt, quam græci medicinam appellant. Medicus enim non niſi quæ periculo ſunt proxima intuetur, & quæ ſunt ingrata contrectat, ac ex aliorum calamitatibus ſibi dolorem conciliat. Ægrotantes vero artis opera (non modo adſpectu aut viſitatione) *maximis malis, morbis, laboribus, dolore & morte vindicantur.* Veriſſime dictum, fida enim praxis non raro moleſta itinera, labores, vigilias, pericula ſubeunda & neſcio quæ alia, ſibi poſcit, quæ tam diu nobis ſufferenda ſunt, quam diu medici officia, rite, iuſte, ac liberaliter explere decreuimus. a)

§. VII.

Atqui, aiunt, hæc bona tantum ſunt deſideria facilius optanda, quam ſperanda. Nos contra reſpondemus: ſatius eſſe bona deſideria inculcare, quam malos mores fulcire, ſilentioque obfirmare; & vtinam vnitis, id plures medicorum agerent, viribus, moueri ſe forte paterentur magiſtratus, ſuisque hoc in negotio ſatisfacere ſtuderent officiis. Non ſumus præter ea nouiſſimi aut primi, quibus hoc cordi eſt, quiue hanc ſalutarem vnionem efflagitant, fecerunt id ante nos plurimi, tam veteres quam recentiores, quos adeant, qui velnit; nos in præſenti eorum verba, non exſcribemus.

§. VIII.

a) Arridet hic R. a Caſtro iudicium, in medico politico lib. II. cap. 3. p. m. 68. vbi poſt recenſitas diſſentientium opiniones, iſta, quæ ſequuntur ponit: *Ex dictis deprehenditur eorum medicorum error, qui hanc medicinæ partem callere dedignantur, aut quia contemnunt, aut quia medico non conferre, atque adeo indecoram eſſe exiſtimant? delicatuli illi, qui eam medicinæ partem exercere dedecoroſum putant quam tamen magnum* Hippocratem & *ſapientiſſimum grauiſſimumque* Galenum *nec non* Podalirium & Machaonem Æſculapii *filios non ſolum calluiſſe ſed etiam ſummo cum honore exercuiſſe conſtat; iniuſti vero, qui eam partem callere prædicant, cuius tertiam partem omnino ignorant, & cum doctoris nomine glorientur, ea tamen, quæ ipſorum miniſtri exercent, ipſi penitus non norint* &c.

§. VIII.

Sed obiicitur porro: *licet homines isti maximæ accusentur inscitiæ, tamen non semper in curationibus sunt infelices, adeoque vel hanc ob causam tolerandi.* Hoc vero est, quod negamus: quoties enim cumque prospere agunt, αυτοκρατεια naturæ factum est, quod tonsorum artificiis deinde acceptum refert vulgus. Ne vero de partium studio nos arguant, Paraeum, vt responsurum pro nobis, in scenam producemus, cuius egregium, de felici chirurgastrorum praxi, iudicium, multorum loco valere poterit, ita vero ille *in introd. ad chir. comp.* *Quod si qui instent, multos reperiri, qui chirurgica tractent opera, absque vlla rerum eiusmodi notitia, quibus tamen desperatorum morborum cura feliciter succedat, hoc a me responsum ferant: talia potius casu contingere, quam artis industria, NB. parumque cautos esse, qui se illis committunt. Felicem enim vnum aliquem, quem sors dederit iactum, mille postea errorum dispendio diffamare &c.* Ita Aristoteles 2. *metaph. dicere solet: fabrum sanitatem* fecisse, per accidens est, quoniam non est aptus ad sanitatem faciendam faber, sed medicus.

§. IX.

Tonsores in cauti venena ægris propinare, tamquam medicamenta rariora & pretiosa arcana §. præc. dictum iam est, nunc autem ostendemus in *quanto ii versentur periculo, qui inperitorum tonsorum fidei se committant, eorumque formulas venenatas assumant.* Vt vero iterum simultatis ac odii aduersus tonsores, priuati suspicionem amoliamur, non ea, quæ ex propria experientia adferre possemus, sed quæ clariores medici obseruarunt, communicabimus, & quidem ex *Act. Med. Ber. Dec. I. Vol. III. p. 91. h. m. Obtigit mihi non ita pridem occasio chirurgi alicuius castrensis pharmacothecam portatilem perlustrandi, ex qua depromebat puluerem febrifugum certissimum & infallabilem, qui longa consuetudine & vsu, applausum apud omnes, qui eius notitiam habuerunt, periculumque fecerunt, demeruerat. Contendebat Chirurgus, nullam dari speciem febris, quæ non secunda vel ad summum tertia dosi huius pulue-*

ueris expugnari queat. Ipse puluis colorem referebat antimonii diaphoretici martialis, nempe dilute fuscum. Eiusque præparatio erat sequens Resp. Arsenic. Drachm. iij. Nitr. Drachm. j. M. f. pulv. reponatur in patina vel catino ferrea aliquamdiu in cellam, nunc & tunc commouendo materiam, donec colorem acquisiuerit prædictum; Dosis saltem est vnicum granum, quod micæ panis tantillo includunt, auroque obducunt & ante accessum febris exhibent, cum omni breui post assumendi potulenti interdictione. Retulit præterea, quod plus, quam granularis dosis sit periculosa & deleteria. Paulo inferius additur loc. cit. p. 92. *Non credas velim, lector, hoc remedium forte esse rarum,* a) *nec omnibus & singulis cognitum; est machæra plurimorum, qua insultant medicis &c.* conf. Stahlii opusc. chymic. phys. medic. p. m. 442-455. Quantum periculum talem medicationem comitetur, illi norunt, quibus de septica arsenici constat efficacia, quid? quod neque per emeses semper aut hyperemeses eiicitur, licet ad istas vel maxime exstimulet, sed inflammato ventriculo homines enecet. Eiusmodi casum referunt Annales Vratisl. tom. II. p. 219. Muliercula nempe sumto horis pomeridianis arsenico, enormes quidem experitur vomitus, post medium vero noctis exstinguitur. Secabatur cadauer, in quo ventriculi inflammationem, & massam deleteriam omnem in eius fundo instar albæ pultis residentem, obseruarunt illi, quorum interfuit. *Quibus artibus nuper tonsor quidam* Freyenwaldæ *puellam trucidauerit*, Acta med. B. Dec. II. Vol. VI. p. 87. seq. fuse narrant; conf. Io. Ioach. Schmid de chirurgorum erroribus in curandis morbis venereis.

MEM-

a) Mentionem faciunt Collectiones Vratisl. cuiusdam circumforanei, qui a. 1721. Physico Iavarinensi vltro fassus est, *quod plus quam XV. aut XVI. libras arsenici, tamquam summum febrifugum dispensando, insumsisset,* vid. tom. XVIII. p. 631.

MEMBRVM III.

DE CAVSIS IGNORANTIAE ILLIVS, QVA TONSORES OBRVTI ESSE SOLENT.

§. I.

MVlta in præcedentibus de noxia tonſorum diſputauimus ignorantia, & nunc ſolicite inquirendum eſſet in illius cauſas, conſilia quoque proferenda, quibus auferri illa penitus poſſet aut emendari. At docuimus vtrumque; omnia quippe incommoda, omniaque pericula auferentur, ſublata illa licentia, qua tonſores ignari abuſi ſunt hactenus; dum partem medicinæ exercendam ſibi vindicarunt, arte ſua raſoria, multo nobiliorem, difficilioremque. Non opus igitur erit iteratis recenſionibus, ſufficit, eos ſæpe omnia illa, quæ chirurgica praxis requirit & ſupponit, ignorare: cur ignorent, cauſa eſt, quod non diſcant; diſcere vero tirones, quomodo ab inſciis magiſtris poſſent? conf. & Freitagii noct. medic. cap. 13.

§. II.

Res explicatione nulla indiget, qui enim ab inepto magiſtro, in tirocinii & ſodalitii annis nil didicit, quomodo ſuos aliquando tirones, ipſe magiſter factus, inſtitueret? Numquam pariet lupus ciconiam. Si induſtriam, ſtudium, vigilias, operam requireret vulgaris chirurgia tonſoria, non poſſet quilibet etiam rudior in tonſorem euadere. Quid ergo mirum ſi nihil ſciant? Ita comparatum eſt; adoleſcens qui artem mechanicam averſatur, tonſori committitur, ſoluuntur a parentibus L. thaleri; tiro palliatus triennii tempus, in plateis diſcurrendo & barbas paſſim tondendo, abſoluit, ac ita abſolutus euaſit artifex: abſoluit ſtudia, nec tamen quid chirurgia ſibi velit, intelligit. Et ne dubium aliquibus ſuboriatur, ac ſi talis, tonſtrinæ vale dicens, non eſſet, qualis haberi geſtit, ecce, e cera, minio, Galbano,

bano, oleo, aliisque pinguedinibus emplaſtrum coquit, non miraculoſum aut diuinum, quale Barbette celebris olim chirurgiater præſcribit, ſed ſupermiraculoſum & ſuperdiuiniſſimum.

§. II.

Hic eſt tonſor fiendi proceſſus, hæc ſtudia, hoc exercitium. a) *Vnde his* ſcientia phyſiologico-pathologico-anatomico-pharmaceutica, ad chirurgiatricen exercendam tantopere neceſſaria? Poſt leuia tirocinii ſui officia, aut, more Hippocratis iam b) tempore conſueto, militum ſequuntur migrationes, aut ſecundum leges tonſorias XII. annis regionum peruagantur oppida, nil ſæpe agentes, quam, vt cum ſuis magiſtris, per ægrotorum cruciatus, periculoſas luxatorum c) repoſitiones, ominoſas vulnerum curationes, frequentes ſphacelationes, & funeſtas mortes, triſtia vbique, non ſine mercede, faciant experimenta.

MEM-

---

a) Vid. Anonymi Diſſertation en forme de lettres, au ſujet des ouvrages de l'auteur du livre ſur les maladies des Os a Paris 1726. it. le Chirurgien Medecin, ou lettre au ſujet de chirurgiens qui exercent la medicine. pag. 26 - 33. it. Examen de divers points d'anatomie de chirurgie de phyſique de medecine &c. par Mr. Nicolas Andry, a Paris 1725.

b) Suadet enim ipſe Hippocrates lib. de medico fol. 22. *Si igitur, qui hanc manus operam exercere volet, vt extremos exercitus ſequatur oportet. Hac enim ratione exercitationem ſibi comparabit.*

c) Agnonit idem ſuo iam tempore celebris quondam anatomiæ profeſſor Batauus Pet. Paaw in egregio ſuo de humani corp. Oſſibus tractatu p. m. 6. ſeqq. dum inquit. *Amplius ſi velis, vide, quot occurrant in dies valgi, vari, loripedes, brachiis cruribusve diſtortis ac deformibus, vnde autem? quod in inperitos inciderint chirurgos, quibus naturalis oſſium figura, poſitus, connexio incognita, inde namque non raro euenit, vt neſcientes, quanam naturalis ſit oſſium artus conſtituentium figura, accedente imperitiæ violentia, in contrarium ſitum cogant oſſa, eumque non minus vitioſum ac non naturalem, quam is ad quem curandum vocati erant, quod idem, ne cuidam mirum videatur, is ſciat, non ſemel idem aut ſimile in aliis euenire curationibus.*

MEMBRVM III.

BREVISSIMAM DICTORVM SISTIT APOLOGIAM.

ILlis tandem, quos veritatis confeſſio offendit ; quibus ſtomachum hoc noſtro ſcripturæ genere mouimus, illis, quibus inſuper conuicia in bonos quosuis euomere volupe eſt, illis, inquam, optando, vt ad ſaniorem redeant mentem, ſequens Hiero. Buslidii, canonici quondam & parlamenti Mechlinenſis conſiliarii, apologiæ loco adponemus poëma ;

Qua ratione meos, vlciſcar quæritis, hoſtes?
Expediam, vlcisci ſic quoque diſce tuos.
Inceſſunt, taceo: culpant, fero: crimina ſpargunt,
Diſſimulo: mordent, absque dolore meo.
Obtrectant, ſileo: ringuntur, rideo: vulgo
Traducunt, patior: dant mihi damna, ſino:
Aſpiciunt toruis oculis, ego comiter illos
Accipio: turbant cuncta, quiete fruor.
Latrant, non moueor: frendent, non curo: minantur,
Nil metuo: torquent labra, laboro nihil:
Exagitant, non exagitor: vexant, neque vexor:
Lædunt, nec lædor: probra refutat honor.
Inſidias ponunt, euado: petunt caput, oro:
Peſſima molitis, optima quæque precor.

SOLI DEO OMNIS GLORIA.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 2. lege. effugit p. 4. l. 25. leg. φιλοσοφεις p. 14. l. 10 leg. ebuccinant p. 14. l. fin. leg. Dantiſcanum p. 16. l. 24. leg. arida p. 17. l. 31. leg. animalibus p. 19. l. 9. leg. quæ p. 20. l. 7. leg. εν κρητη p. 20. l. 17. leg. capras p. 20. l. ult. leg. conſerta p. 22. l. 27. leg. κυνηγετικων p. 24. l. 8. leg. quantaue p. 33. l. 9. leg. adnotauit p. 33. l. 32. leg. Veſputius p. ib. conualuerit p. 35. l. 12. leg. Nam p. 44. l. 14. leg. Mores p. 44. l. 26. leg. perditi p. 46. l. 21. leg. dare p. 47. l. 25. leg. tolerabilius p. 49. l. 3. leg. ſpernendus p. 53. l. 14. leg. lauas p. 53. l. 33. leg. ergo.